





13

*2. d. 179.*

MARTINI SCHMEIZEL

10

PHILOSOPH. PROF. PVBL. EXTRAORD. VT ET BIBLIOTHECAE

DVCALIS ACADEMICAE INSPECTORIS *Gen. 7. num. 2.*

ORATIO INAUGVRALIS

DE

TITVLO IMPERA-

TORIS, QVEM TZAARVS

RVSSORVM SIBI DARI

PRAETENDIT,

*1722, 19*

IN ACADEMIA IENENSI

EIVSQVE AVDITORIO THEOLOGICO

*P 179*

A. R. S. clo IocccXXII. D. XIV. DEC.

HABITA,

NOTIS ET OBSERVATIONIBVS AVGMENTATA.



—————  
I E N A E,  
SVMPTIBVS AVCTORIS.



MARTINI SCHMIDT

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET BIBLIOTHECARIUS

ORATIO INAUGURALIS

DE

TITULO IMPERIA

TOLIS, QVAM TAAARV


RASSORVM SIBI DARI

PRÆTENDIT

IN ACADEMIA IENNENSI

ELVSONVS AVDITORIO THEOLOGICO

MDCCCLXXXIII



ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI CHRISTOPHORO

S.R.I. LIB. BARONI ET BANDERESIO

A WOLZOGEN

SAC. CAES. MAL ET IMP. ROM. CONSILIARIO IMPER. AVLICO ACTVALI,  
SERENISSIMI DVCI SAXO-MEIVNGENSIS MINISTRO STATVS SVPREMO,  
VT ET CONSILII SANCTORIS DIRECTORI

GRAVISSIMO

DYNASTAE HAEREDITARIO IN MVHLFELD, BAVER.  
BACH, ET RELIQVA.

VT ET

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO  
IOANNI CONRADO  
A WEBERN

EIDEM SERENISSIMO DVCI A CONSILIIIS STATVS, NEC NON PRAESIDEN.  
TIS IN CONSISTORIO ECCLES. MAGNO SPLENDORE  
VICES SVSTINENTI

DYNASTAE IN GERTHAVSEN ET HVTSCHERODE.

DOMINIS AC PATRONIS  
GRATIOSISSIMIS.



ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI FRIDERICO

S. R. I. LIB. BARONI

BACHOVIO AB ECHT

SAC. CAES. MAI. CONSILIARIO AVLICO IMPERIALI, SERENISSIMI DVCS  
SAXO. GOTHANI MINISTRO STATVS SVPREMO, VT ET SANCTIORIS  
CONSILII DIRECTORI GRAVISSIMO.  
DYNASTAE IN DOBITSCH, ROMSCHIZ, POTERSAV  
ET RELIGVA.

AC TANDEM

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

ANTONIO LVDOVICO  
A SCHWARZENFELS,

EIDEM SERENISSIMO DVCI IN SANCTIORI SENATV A CONSILIIS, AERARII  
PRINCIPALIS DIRECTORI, PRAEFECTVRARVM LEVCHTENBVRGENSIS ET  
ORLAMVNDANAE SVMMO PRAEFECTO, COMMVNIS QVOD IENAE  
HABETVR IVDICII AVLICI, IVDICI GRAVISSIMO.  
DYNASTAE IN ALTENBERGA ET VLSTAEDT, RELIQVA

DOMINIS ET PATRONIS  
GRATIOSISSIMIS.

VIRI  
ILLVSTRISSIMI, PERILLV-  
STRES AC GENERO-  
SISSIMI.



Aut procul mihi arcessendas esse  
rationes puto, quibus adductus  
hanc meam orationem Illustrissi-  
mis VESTRIS nominibus infi-  
gnitam, in publicum exire sino. Inauguralis  
ea est, ceu inscriptio & argumentum ejus  
condocent, qua munus Professorium, ex SE-  
RENIS-



RENISSIMORVM academix nostræ NVTRI-  
TORVM gratia mihi delatum, publice sum at-  
spicatus. Hac vero provincia ornari, quod dignus  
suerim existimatus, VESTRORVM omnino con-  
siliorum interventu factum esse fateor, imo devo-  
tissima etiam mente agnosco, VOS enim divina  
providentia, summorumque Principum volun-  
tas, ob eruditionem insignem, iudicium edecu-  
matum, rerumque multarum usum atque expe-  
rientiam, supra multos alios in eum evexit gra-  
dum, in quo reipublicæ civilis æque ac literariæ  
nostræ gubernacula, summorum Principum vice  
tractatis, tutelamque musarum geritis. Cuncta-  
que multum revera interfit musis earumque cul-  
toribus, quos in aulis summorum imperantium  
habeant Patronos, qui eos foveant, excitent, pro-  
moveant, & ad meliorem spem erigant, non pos-  
sum non, quin impense mihi gratuler, quod a  
VOBIS PURPURATIS, VIRISQUE doctrina  
prudencia, sapientia admirandis, quive studiorum

fautores & iustissimi æstimatores estis, dignus fuerim habitus interventu consiliorum Vestrorum, ad adipiscendam publicæ Professionis munus utique necessario. Ut igitur submissi & gratissimi in VOS animi documentum, imo & favoris VESTRI ac propensionis in musas, apud feram, si quæ speranda sit, posteritatem, monumentum superesset, hæc ipsa opella, magnis & illustribus VESTRIS nominibus insignitur, eoque habitu exornata, aditum ad limina gratiæ & favoris VESTRI sibi petit, auctorisque sui nomine supplex rogitat, ut serena fronte eam sulcipere dignemini, Id quod, si ab argumenti novitate discessero, vel ex ea ratione facile me consecuturum esse confido, quod ad immortale apud posteros conciliandum VOBIS decus pertineat, si enim illi, qui consiliis & auspiciis VESTRIS promoti, favoreque VESTRO concitati, provinciam sibi delatam ornent, si præclara quævis adgrediantur, si laude dignum in lucem proferant, adeoque publico bo-  
ni

ni rationes promoveant, tum id auctoribus non  
magis, quam VOBIS imputabit rectum illorum,  
qui res omnes ex debito ponderare apti sunt, judi-  
cium, denique, si ex conatibus illorum, quos  
VESTRO favore & patrocinio dignati estis, laus  
quædam exsurget, eam vel maxime VOBIS de-  
beri, omnes ultro agnoscent. Me vero quod at-  
tinet, in id ego omnibus animi & corporis viri-  
bus incumbam, ut expectationi de mea tenuita-  
te concepta, pro virili fiat satis, nec consiliorum &  
adprobatione in eo negotio, unquam VOS poe-  
niteat. Quod superest, DEO Ter Optimo Ma-  
ximo ardentibus supplico votis, ut VOS Reipu-  
blicæ civilis & literariæ nostræ Præsides, diu so-  
spites & undiquaque florentes tueatur clementissi-  
me aureumque vitæ VESTRAE filum, ad grandæ-  
vam ducat canitiem, per VOS enim salvos, sal-  
væ erunt tripudiabuntque mulsæ, promovebun-  
tur VESTRIS auspiciis artes liberales, earumque  
strenui cultores, imo nunquam deerunt heroica-  
rum

rum & insignium VESTRARVM virtutum præ-  
cones, qui posteritati mandabunt, quæ in VO-  
BIS excelsa fuerunt & merito concelebranda. Va-  
lere & favete.

**MAGNORVM ET PERILLV-  
STRIVM NOMINVM VE-  
STRORVM**

*Cultori devotissimo*

**MARTINO SCHMEIZEL**

Philos. Prof. Publ. ut & Bibliothecæ  
Ducalis Academicæ Inspectori.

---

JENAE A. O. R. CIO ICCC XXIII. Feste Petri & Pauli.



QVOD FELIX FAVSTVMQVE ESSE SINAT  
DEVS TER OPTIMVS MAXIMVS!

## PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE

PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, PATRONI ATQVE  
COLLEGAE SVSPICIENDI, HOSPITES HONO-  
RATISSIMI, TVQVE STUDIOSORVM GENERO-  
SA ET NOBILISSIMA CORONA, MVLTORVM  
POPVLORVM SPES, NOSTRAE DELICIAE.



Qvod si theatrum generis humani am-  
plissimum, accuratiore mentis oculo  
intueamur, & in eo varias diuer-  
sasque vanitatum classes, quibus mi-  
seri mortales sibi admodum pla-  
cent, paulo diligentius perlustremus, prae omnibus  
aliis caput suum erigit, deridendamque sese pruden-  
tioribus praebet, multorum intemperata sui ipsius &  
delica-

A

delica-

delicata aestimatio. Licet enim ex eadem omnes stirpe descendamus, modoque eodem nascamur, nutriamur & moriamur, adeoque natura omnes aequales simus, paucos tamen invenias, qui forte sua contenti; eminere praecaeteris non cupiant, variisque modis & artibus, licitis illicitis, praeferi aliis non gestiant. Hinc tot inanes inter superiores aequae ac inferiores de praerogativa lites, quas corruptae mortalitatis genius, a longinquis retro temporibus in nostram vsque hanc vanitatis studiosissimam aetatem, ad internecinas saepe reciprocatur inimicitias. Non est A. A. huius mei instituti ratio, cacoethen istud perstringere, etiamsi nec exempla eorum, quos hac in parte gloria vexat inanis, nec rationes prudentum me destituant, quibus varia illa praelationis affectatio redargui ex merito possit (1), illud igitur pace vestra, & intuitu mei

(1) Id quod illos duntaxat fugere putamus, qui historiarum expertes, insuper etiam quotidianarum rerum necessaria destituuntur experientia. Controuersis inter Reges Principesque de praecedentia, funestis saepe & cruentis, pleni sunt annualium scriptores. Modo non laterculos illos, Ecclesiasticorum etiam (qui tamen ex prae-

scripto diuino aliis humilitate praelucere debebant) *πρὸς οὐδέ τις* rixae nefandae, nec sanguinis humani profusione terminandae, impleant. Legat cui volupe est, singula in unum fere collecta in IAC. ANDR. CRVSH Tractatu insigni *de Praeeminentia*, CHRISTOPH. BESOLDI *Spicilegii Politico-Iuridicis* pag. 137. seq. vbi & pag. 146. seq. docte inquirunt:

mei propositi dico, inter immoderatae multorum sui ipsius aestimationis documenta, si non primum, proximum tamen locum occupare, TITVLORVM AFFECTIONEM, titulorum, inquam, quos reuera exilis tantum voculae tonique titillationem, merito dixeris, cuius saepe nec naturam intelligas, aut usum tamen minime videas (2), nominum quippe vtplurimum ab omni re vacuorum. Quae privatorum hoc passu sit vanitas, nec lippis nec tonforibus ignotum esse potest, adeoque horum nos dementia haud detineat (3).

A 2

Supre-

*An christianum & honestum sit, de praecedentia licem operose aliis mouere?* exinde sic satis patefceret, quid de Pancirolli, Menochii, Vaf quii aliorumque, ob praecedentiam bella quoque geri posse statuentium, sententia, iudicari queat. Privatorum dementiam, is ignoret, necesse est, qui congressibus nuptialibus, conuiuialibus, funebralibus, & proh dolor, sacris mysteriis, haud vnquam interfuisse dicendus sit, quod si viderit, quid illic saepe vsu veniat, ambitiose praecedentiae exempla, a nobis sibi enumerari vix expetet.

(2) Si sapias, qui ista legis, si que experientia haud destitutus noveris, quo digitum hic intendam, imo forte si scias, quantas

emulationes, dissidia, quantas in republica ordinum confusiones, legum proculcationes, imo & familiarum ruinas, quaeue alia mala bene multa, inanes & tamen phalerati illi tituli apti sint caussare, forte duriora adferri posse aies, quam quae heic in hanc rem dicta sunt.

(3) Quotus enim quisque est, qui vitium seculi reuera aduultum noscat, nec tamen sciat, ut multi currant, emant, emendent titulos, per se satis honorabiles, sed, si verum fateri audeas, certissima stultitiae suae axiomata, quibus ausibus id efficiunt, ut tituli hominibus, non homines iisdem, quos propter dotes suas promerentur eximias, ormentur, adeoque diu hodie non

Suprema mundi culmina, eorumque hac in parte morem, ut intueri sibi liceat, hæc nostra gestit oratio, atque sic & disquirere, an forte illic etiam nonnulla luxuriosæ ambitionis, in affectandis usurpandisque titulis, exempla, adeoque & immoderatæ suiipsius æstimationis documenta sese nobis offerant (4). Quo instituto, si temporum testem, vitæ magistram, rerumque gestarum conservatricem, historiam consulamus, næ magnus illorum nobis obvenit cumulus. Non atti-

ut olim laboribus, sed pecuniis imo & connubiis, teste experientia, *προχομιστοῖς* vendant honores. Sed nostrum non est judicare, quem supra ceteros, & quibus de causis, extollant, nobis obsequii gloria relicta, sufficit nosse, monetæ multos instar esse, cui valor accedit, non semper ex bonitate interna, sed ex impositione superiorum. Interim privatorum in affectandis usurpandisque titulis insolentiam, ex merito castigavit GERHARD. FELTMAN in Tract. de Titulis Honorum Lib. I. cap. 14.

(4) Equidem satis cognitum habeo atque perspectum, disputare de rebus ad statum publicum pertinentibus, cibum esse stomachorum magnorum, ut ait

politicorum quondam prudentissimus ANTON. PEREZIUS in *Aphorism.* fol. 70. plenumque periculi opus esse, de illis velle scribere, qui possunt proscribere, attamen vero, cum nulla res sit, quæ non in abusum trahi apta sit, nec trahatur etiam quandoque, ita & titulos etiam suos excessus pati, tota doceamur die, hinc vix erit dubium, sine piaculo loqui posse de iis, quæ tam aperte in oculos auresque nostras cadunt, ut nihil supra, quæve jam ab aliis laudabili ausu reprehensa sunt, vid. FELTMAN. *Loc. cit. cap. XI. CRUSIUS Loc. cit. pag. 42. BEGMANNVS in Notitia Dignitatum illustrium Disp. III. cap. 3.* Justiniani titulum, adulatione Triboniani conflatum, jam pridem de-



attinet commemorasse barbararum gentium reges, eorumque in usurpandis titulis tam ridiculis fastum, ut Heraclitus sit oportet, qui illos cognoscat, & tamen a sannis sese cohibere queat, videlicet, quando tot fratres solis & lunæ, tot angelos paradisi, tot deos & dominos mundi, totque dominos dominantium intelligit, quot principes in Asiæ Africæque populos dominantes percipit (5), nostræ igitur nunc curæ datum est atque relictum, in illos mundi proceres rerumque dominos stilum convertere, qui moratiores orientali- bus illis videri non solum, sed esse etiam volunt, adeo-

A 3

que

pexum dederunt multi, vid. GREGORIVM TOLOSANVM de Republ. cap. XI. Legitimum vero titulum usum, nec a jure naturali, nec gentium, nec divino recedere, tam sumus certi, quam certissimi.

(5) Ejusmodi specimina in titulis Regum Persarum, Sultanorum Turcicorum, aliorumque orientalium Principum, bene multa legimus, imo & ridemus, tædet me illas nugas bul-latas heic adscribere, igitur remitto harum rerum cupidos, ad compilatores titulorum, speciatim GOCKELIVM de Europæis Regibus cap. I. SELDENVM de Titulis

Honorum Part. I. FELTMANNVM Loc. cit. BECMANNVM Loc. cit. LVNIGIVM in Theatro ceremoniali. Et quamvis, forte etiam cum Becmanno loc. cit. dicas, illas scribendi formulas stilo potius aularum illarum excusari posse, quam ut singulari fastui adscribi debeant, respondemus, adesse & alia satis nota documenta ambitiosa elationis illarum gentium, quæ de impertinente illorum fastu & vanitate, abunde restantur, adeoque excusatio illa a stilo curiæ defumta, parum habet in recessu, sed referent illi titulos inanes sibi, ut pueri crepundias.

que inquirere, an illic forte etiam nonnulla titulorum affectatorum exempla occurrant, quæ si forte non levitatis & elationis, saltem novitatis notam præ se ferant, aptaque sint, inter proceres mundi præsentis, nec adhuc dum satis pacati, nova cetera dissidia, novasque causare controversias. Hoc dum sustinemus, aurem musa nostra vellicat jubetque, ut posthabitis tantisper exemplis antiquioribus (6), in ea curam animi nostrum convertamus, quæ fama publica, iterari hæcenus vicibus circumtulit, videlicet in Russorum Tzari (\*), hodie magna auctoritate & admiratione regnantis, postulatum, quo titulum Imperatoris, ab exteris Procerum Europæorum aulis sibi ex debito dari, animose prætendit (7). Cum igitur solenni  
apud

(6) Neque enim est quod putet, nostrum præsens tantum ævum legitimos titulorum limites excedere, totus, crede, semper mundus historiam exercuit, verba sunt faceri cujusdam auctoris apud BECMANNVM *Loc. cit. §. 3.* adeoque, qui excessum & luxuriam in titulis usurpandis notarunt & perstrinxerunt, ut plurimum de præteritis loquuntur, *legenum. præced.* ad legatos, & erit res in vado.

(\*) Ita scribimus nomen istud, nti scribi debet secundum idio-

ma Russicum. Prima enim litera est Tz, quam Russi vocant Tzu, constat hoc omnibus, qui aliquali notitia hujus linguæ tincti sunt, aut qui non sunt, inspiciant brevitatis causa AVGVSTI PFEIFFERI *Criticam Sacram p. 348.* & ibi characteres Russicos, atque sic planum erit, omnes minus accurate nomen istud scribere, quicumque scribunt Czaar, Zaar, Csaar, illi vero impensius errant, qui Ezaar scribunt aut pronuntiant.

(7) Testamur hæc publicam

apud Vos A. A. oratione, munus Professionis publicæ, a Serenissimis Academia Nutritoribus, Dominis meis gratiosissimis, clementissime mihi & præter meam spem (8) delatæ (9), auspiciandum esset, magnus equi-

famam & relationes rerum novarum in orbe gestarum, plura hanc in rem infra dicentur, ubi ex instituto hocce argumentum sumus pertracturi.

(8) Imo forte & aliorum. Ad me enim quod attinet, privata mea hæcenus conditione contentus, ita meos affectus composueram, ut in hoc negotio rationem audirent, quæ docebat, neque petere publicam functionem, neque, si rite offerretur, aspernari. Quo consilio illud me consequi posse putabam, ut vocationis meæ certus essem, possesque ea fiducia, in munere imposito, si quid adversi obvenisset, libere deferre desideria mea ad Deum meum, tanquam unum susceptæ functionis & indubitatum auctorem, optimegnarus, quanti esset ad omnia, quæ homini in publico munere constituto possunt occurrere, non exambitæ, nec emendicatæ vocationis, pura & liberalis conscientia, qua mente confirma-

bat me *B. Lutherus* aureo Commentario *ad Epist. ad Galatas cap. I.* adeoque, cum constans hoc animi mei consilium, plane contrarium esse cognoscerem seculi moribus, jam dudum ego omnem spem abjeceram, de adipiscendo quali etiam cunque munere publico, de professione autem academica, ne vel cogitare mihi licebat. Sed & præter aliorum multorum opinionem id ipsum evenisse, nullus dubito, illorum præsertim, qui alieni prorsus a consiliis, quæ meum, ut dixi, hæcenus occuparunt animum, aut, qui infimorum hominum more, vuculis, obtreccationibus, invidiosisque conatibus, multas proximo suo immerenti graves & acerbas pariunt horas. Ast, sit ita factum præter meam aliorumque spem & opinionem, modo id factum sit, (de quo est ut impense mihi gratuler) ex divini numinis decreto, & qui ejus in his terris vices gerunt, Serenissimorum

equidem fateor, & amplissimus dicendi campus sese mihi adperiebat, verum enim vero pensitatis ultro citroque rationibus (IO), in eam tandem veni cogitationem, argumentum illud, de præensione tituli Imperatoris, quem sibi dari vult Rufforum Monarcha celeberrimus, ita esse comparatum, ut & gratiam habeat novitatis, & dignum sit accuratiore inuestigatione atque examine (II). Quicquid igitur ab integro jam decur-

Saxonie Ducum gratiosissimo beneficio & auctoritate.

(9) Designatio tam ad professionem publicam, quam ad munus inspectoris bibliothecæ Ducalis academicæ, facta est in consessu consiliariorum illustrium, ad inspiciendas res academicæ, a Serenissimis Nutritoribus missorum, d. 10. Jul. introductio vero, in consessu illustri Senatus academici d. 18. Nov. 1722.

(10) Neque id quidem sine ratione, multum enim interest, quales in animis auditorum stimulos relinquat prior oratio. Primo quidem e re admodum mihi videbatur, si verba facerem *de malo academico*, cui medela ut adferratur, varix tunc ultro citroque agebantur consultationes deinde & *de bono academico* subinde cogitabam, ut

fanaticorum eorumque sequacium deliramentis occurrerem, qui academias non pro officinis artium, sed pro latrinis vitiorum habent; porro & *fata Scholarum* cogitationibus meis obuerfabantur, & materia *de dignitatibus & promotionibus academicis*, & quæ erant reliqua, fructum aliqualem habitura, attemin vero, cum præsentirem, futurum facile fore, ut meditationes meæ vix omnibus ad palatum essent, tandem sepositis illis, perorandi argumentis, istud eligendum & proponendum putavi.

(11) Quotus enim quisque est, cui præsentis nostræ ætatis res, in orbe civili inter rerum dominos gæsta, cordi sint atque curæ, nec sciat, quos & quantos motus, aliquot ab hinc annis causarit præensio tituli Impe-

decurrente anno, Disputationi habendæ destinatum collegeram (12), solenni hac panegyri per summa rerum capita edisserere conabor, vestrum A.A. implorans favorem & assensum, ut mea oratio his velut secundis subiecta ventis, quem sibi proposuit portum, facilius consequatur. Deus vero æqui bonique auctor, adsit dicendis.

De titulo Imperatoris, quem Russorum Monarcha sibi dari præten- dit differturus, principio quidem *in vocis & tituli Imperatoris varios significatus, quos pro diversitate ætatum habuit*, inquiram, secundo exponam, quid annalium conditores *circa titulos adnotatum reliquerint, quibus Russorum Domini, temporum decursu usu fuere*, tertium erit, ut ostendam *prætensionis illius historiam*, adeoque, quid duobus abhinc seculis inter Russorum Monarchas, exterisque inter Reges ac Principes, in puncto tituli Imperatorii, actum

B

gestum-

in aulis exteris haud vice simplici-  
ur sit modernus Russorum Monar-  
cha gloriosissimus, qui istud nove-  
rit, & illud incognitum haud erit,  
quantis litigijs & discursibus eadem  
caussa ansam dederit, quibus, ut fie-  
ri solet, varii varie pro & contra,  
hanc in rem disputarunt. Quæ  
cum ita sint, operæ pretium me  
omnino facturum putavi, si argu-  
mentum istud & nobilissimum, &

tempo i convenientissimum, pro vi-  
rili in examen vocarem.

(12) *Ista non sine ratione dicun-  
tur, libellus enim germanice jam e-  
ditus, tum vero vix affectus fuerat,  
cum ego amico discursu destinatæ  
operæ seriem, συναρξαφίαν & con-  
tenta dissertationis meæ, amice, licet  
non satis prudenter, cuidam præle-  
gerem. Testor hic omnes meos  
auditores, qui norunt, destinatio-*

gestumque legamus, quarto *argumenta Rufforum breviter producam*, quibus prætensionis illius rationes fulcire conantur, quidque ad illas vulgo responderi soleat, ac tandem postremo, *breve iudicium de hac controversia* subjungam, & id quidem non tam meis, quam potius aliorum verbis æque ac sententiis, sine tamen in utramque partem verbosa disputatione. Primum itaque quod attinet, nomen imperatoris a verbo *imperare* derivari, ex scholis notum est; varios autem significatus, quos apud Romanos habuit stante illorum republica, nemo brevius sed & accuratius exposuit, quam CASAVBONVS (13), quando dicit: appellatio Imperatoris in historia romana trifariam accipitur, primum pro *ηγερων & στρατηγος* dux exercitus (14), hoc sensu Imperator a militibus nominatus, qui imperium belli suis auspiciis administrandi, a populo accepisset, deinde pro victor & *νικητης*, nam qui res magnas bello gesserat, & lege definitum hostium numerum occiderat, a militibus imperator solitus salutari (15), postremo Imperator idem significare coepit ac rex, & quidem a Ju-

nis hujus mentionem sæpius me injecisse, moneoque ista, ne forte, & argumenti inventionem & rerum dispositionem, aliis acceptam esse ferendam putes.

(13) In notis ad Syronii Casavbonii cap. V.

(14) Hoc sensu Cornelius Nepos librum suum *de vitis excellentium imperatorum* inscripsit, vid. BOSIVM & aliorum notata.

(15) Vide, quæ ex veteribus in unum collegit ROSIVS in *Antiquit. Rom. Lib. X. cap. 6.* & BULLINGERVS in *Tract. de Imperat. & Imperio*

a Julii Caesaris tempore (16). Nihil heic attinet A.A. testimonia hanc in rem cumulare, ab instituto quippe nostro plane alienum, quod si tamen quis harum rerum teneatur desiderio, FABRI *Theſaurum* evolvat, jungatq; AEGIDII STRAVCHII *dissertationem de Imperatore*, & habebit quibus sitim possit restringuere suam (17). Itaque illud saltim dicimus, appellationem Imperatoris a Julio coeptam, illis deinceps quasi proprium axioma esse additam, qui summum cum potestate imperium haberent (18), maluerunt itaque Principes Romanorum, Imperatores sese adpellari quam Reges, ut odiosum hoc nomen evitarent, illud autem astute adhibebant, quippe quod & in libertate non esset ignotum, etiamsi quoad nomen, non vero naturam diversum esset a regis nomine (19). Atque ista fuere prima cunabula vocis Imperatoris, quatenus videlicet appellatione illa is designabatur, penes quem summa esset po-

B 2

testas

Rom. cap. 1. SELDENVS de Titulis Honorum P. 1. cap. 2.

(16) Videndum. *praced.* citatos, & ibi reperies SVETONIUM in *vita Caesaris cap. 76.* DIONEM CASSIVM *lib. 44.* graece scribentem & vocem *αυτοκρατωρ* usurpantem, id quod nominis interpretes *Imperator* semper reddunt, conf. DU FRESNE in *Glossario Graeco* hac voce.

(17) Citamus & scripta obvia,

in gratiam incipientium, qui fontes non semper evolvere possunt, aut non volunt.

(18) Testatur id DIO CASSIVS *loc. cit.* terminis expressis, plura dabunt supra citati.

(19) Vid. SYNESIVS in *oratione de Regno pag. 19.* callide igitur Octavius Augustus ejusq; successores, adepta jam Monarchia, intelligebant, haud usurpanda esse princi-

testas summumque imperium. Continuatum fuit nomen istud in plerorumque (20) Imperatorum titulis, usque ad Constantini M. ætatem, licet ipse rarius, filii vero, plane non id nominis usurparent, ceu ex nummis illorum ætate cufis liquido patescit (21), de Juliano tamen, celeberrimus SPANHEMIVS (22) exemplis nummorum evictum dedit, subinde in illis nomen Imperatoris adjectum fuisse. Tandem diviso imperio romano post Theodosii M. mortem inter filios Honorium & Arcadium, ut rerum omnium, ita & titulorum

ma-

pibus illa vocabula, quæ populo essent invisâ.

(20) Constat sane Imperatorum titulum, a Julio Cæsare in nummis haud receptum, nec ab Augusti successoribus Tiberio, Cajo, Claudio etiam, nisi rarius in iis admissum, ut de Tiberio & Claudio asseruit Sveronius, illos a prænomine Imperatoris abstinuisse: adeo ut in magna nummorum copia, qui super sunt eorundem principum, vix semel tributum advertere sit. Unde & eorum exemplo neglectum ab aliis Cæsaribus, ut Severo, Caracalla & reliquis, quorum nummi frequentius eo carent prænomine, verba sunt doctissimi *Du FRESNE in Dissert. de Imperatorum Constanti-nopolit. Numismatibus* §. 33. sed ist

de nummis intelligenda, in lapidum vero inscriptionibus frequentius invenitur; si conjecturæ locus est, forte primi illi Cæsares omiserunt nomen Imperatoris, quod illo tempore adhuc moris esset, & duces exercitus adhuc prisco illo honore condecorare, quale quid Tiberii ætate de Blasio legimus apud *TACITVM Lib. III. Annal. c. 74.* & *PATERCVLVVM Lib. 2. cap. 125.* conf. doctorum notæ ad utrumque.

(21) Vid. *Du FRESNE loc. cit.*

(22) In insigni opere *de usu & præstantia Numismatum Diss. VIII.* cui jungi merentur *PATINVS, VAILANTIVS* aliique Numismatum collectores & interpretes.



magnam factam fuisse conversionem constat (23). Occidentem Honorius cum successoribus tenuit, quorum novem posteriores, reges Italiae magis, quam Imperatores fuerunt, & intra breve tempus mortui omnes, aut internis dissidiis expulsi, accedebant barbararum gentium incursiones, inter quas Heruli imprimis fatales erant imperio occidentali, quorum rex Odoacer Orestem proelio victum interfecit, filio autem Romulo Augustulo, aetatem pueri miseratus, imperio abrogato, vitam conservavit, in quo imperatoris nomen in occidente desit, anno quidem aerae vulgaris CCCCLXXVI. post tria demum secula a Francis restituendum (24). In orientali vero Imperio, cum interea a Leone I. graecanici sanguinis Principes in solium ascenderent, adeoque cum dominantibus a seculi V. medio graecis Imperatoribus rerumque dominis, & lingua graeca dominans fieret, factum hinc cognoscimus, ut tituli quoque imperantium, graecam vestem induerent, adeoque, qui olim Imperator, nunc apud Byzantinos βασιλεύς, & cum tempore δεσπότης diceretur, omisso nunc & neglecto ut plurimum, aut indifferenter adhibito nomine olim usurpato, αὐτοκράτωρ, ita ta-

B 3 men

(23) Pleni sunt annalium conditores illa tempora describentes, imprimis ZOSIMVS, MARCELLINVS, IORNANDES, SOCRATES, SOZOMENVS, EVAGRIVS & alii bene multi,

recentiores non attinet commemorasse.

(24) Vid. PROCOPIVM, IORNANDEM, & imprimis PAVLVM DIACONVM, & EVAGRIVM, & conf. ex re-

men, ut ex græcorū mente βασιλεύς idem signaret ac vox *Imperator*, δεσπότης vero idem esset ac *Dominus* (25), hic vero monendum esse ducimus, adpellationem βασιλεύς magis in usu fuisse, quam posteriorem δεσπότης, illius enim usus constans mansit usque ad excisum penitus imperium Græcorum per Turcas, seculo XV. ecclesiæ & reipublicæ græcicæ, maxime fatali (26), unde & interpretes latini, eam semper per latinum vocabulum *Imperator* exprimunt (27). Interea & occidentis Imperium, a seculo V. sine sepultum quasi jacebat, cessante protinus & dignitate & titulo imperatorio, usque ad seculi IX initium, quo Francorum Rex Carolus, & imperium & nomen imperatoris restauravit, & in vivum quasi revocavit (28). Non attinet heic & occasio-

nem

centioribus SIGONIVM *de Imperio occidentali.*

(25) Testes adducimus nummismata, a seculo VIII. cusa cum his inscriptionibus, quibz docte explicandis laudabilem operam navasse dicendus est doctissimus HARDVINVS *Tom: I. Operum pag. 496. seqq.* Inscriptiones varias, epistolas, ut & in his subscriptiones, habet & nonnulla SELDENVS *de Titulis Honorum p. 1. cap. 1 §. 3.*

(26) Vide quæ hanc in rem extant in LONICERI *Chronico Turcico, CRYSII Turco-Græcia*, qui plura velit, evolvat CHALCOCON. *Lib. 8.*

(17) Quod illi ignotum esse minime potest, qui Byzantarum Rerum scriptores legit, quorum scripta latine sunt reddita. Illud tantum addimus, ut priores imperatores Byzantini vocem latinam *Dominus* adjecerunt, ita & posteriores *Δεσπότες*, græco idiomate, cum latinum tunc exolevisset penitus, appellari voluerunt, sicque in nummis inscribi, exempla dabit DUFRESNE in *Glossario Græco*, & in *Diss. de Nummis Byzantinis §. 34. seq.*

(28) Pleni hanc in rem sunt annales Francici, EGINHARDI præfer-

nem, & causas, apertas, arcanas in medium proferre, necque de jure, ad Francos, translati cum imperio tituli, disputare, quippe quod ab iustituto nostro aliena esse putemus (29), illud igitur pace vestra A.A. dico, titulum Imperatoris cum dignitate & potestate, a Carolo transiisse ad filium Ludovicum Pium, cujus filii post nefarium civile bellum, ita tandem possessiones diviserunt, ut Lotharius, natu major, Italiam cum imperatoria dignitate teneret (30). Eo post XV. annos religioni se dante, rursus in filios suos distributa hereditas, ita ut Ludovicus II. æque ac pater, Italiam cum dignitate imperatoria acciperet (31), cum vero iste sine liberis decederet, Carolus calvus, fratri suo Ludovico Germanico, pontificis ope, & possessiones & nomen Imperatoris præripuit (32), successorem relinquens filium Lu-

tim, aliorumque, de quibus ut heic mentionem faciamus, instituti ratio non permittit.

(29) Interim, de ea imperii translatione cum disputetur, merentur conferri post MARSILIVM PATAVINVM, scriptores invicem contrarii FLACIVS, BELLARMINVS, DRESSERVS, IVNIVS, GOLDASTVS, adde PFEFFINGERI *Vitriarium Tom. 1. pag. 362 seq.* & ibi fere infinitos.

(30) Vid. ANNALES *Metenses, Bertiniani, Euldenses*, ad A. 843. & alii multi, imprimis NITHARDVS

apud *Pitbæum in Annal. Francorum.*

(31) Anno quidem 850. Romæ in Imperatorem unctus, quatenus vero a Græcis, titulus Imperatoris illi in quaestionem fuerit vocatus, infra suo loco commemorabitur.

(32) Ludovicus II. enim, sine prole decedens, Ludovico Germanico, aut ut alii volunt, istius filio, Carolomanno, imperium testamento adscripserat, Pontificis vero Johannis VIII, magnis muneribus corrupti ope factum, ut Carolus Ita-

dovicum cognomento Balbum, qui vero Imperator fuit sine Roma & Italia (33). Tandem defuncto Carolomanno fratre, qui Italiam occupatam rexerat, Carolus crassus successit, anno DCCC LXXX. Romæ in Imperatorem consecratus (34), sed quia animo & corpore marcescens Crassus, proceribus omnium regnorû quæ possidebat, displiceret, omnibus honoribus exutus ad vitam privatam ire coactus fuit (35). Atq; ex illo tempore, ut magna rerum in imperio accidentali facta est conversio, nec minor contigit tituli imperatorii perturbatio, quippe qui, ab eo tempore ad Ottonis M. ætatem, ambulatorius quasi fuit. In Italia enim Guido Dux Spoletanus a. DCCCXCI. Romæ a Stephano Papa Imperator creabatur (36), eo autem brevi post sanguinis vomitu demortuo, Arnulphus Germaniæ Rex, Romæ vi & armis capta, a Formoso Pontifice solenni ritu

DCCCXCVI.

liam cum dignitate Imperatoria adipisceretur, vid. ANNALES *Fuldenses*, *Metenses*, & quos doctæ & diligenter hanc in rem allegat HAHNIVS in *Hist. Germ. cap. VI. pag. 209. seqq.*

(33) Carolomannus enim, Ludovici Germanici filius, inique ferens, patri & sibi præreptam hereditatem, post Calvi mortem, a. 876. seq. Italiam sibi subiecit tenuitque, sine tamen imperatorio nomine Vid. ANNALES cit.

(34) vid. ANNALES cit. REGINO, HERMAN. CONTRACTVS, & AIMONVS, & quæ collegit HAHNIVS *Loc. cit. pag. 260. seq.*

(35) Prolixe satis fata Caroli describunt ANNALES *Fuldenses* & REGINO *ad A. 887. seq.* & alii.

(36) Is enim linea materna genus ex Carolingicis ducebat, vid. REGINO *ad A. 888.* ANNALES *Fuldenses ad A. 887.* PANEGYRISTA *de Laudibus Berengarii Lib. I. & alii.*

DCCCXCVI. Imperator Augustus inauguratus fuit (37), cum vero is etiam, cito post reditum in Germaniam, ipso seculi fine mortalitatem exueret, principes illi, qui adversis armis de Italia & Imperio Romano certabant, si non omnes saltem tres priores eorum, legitimi & inaugurati Imperatores fuere (38), non item qui in Germania post Arnulphum regnarunt, Ludovicus enim IV. Conradus I. & Henricus I. perperam dicuntur Cæsares & Romanorum Imperatores (39),

C

quod

(37) Papa enim tumultu & motibus civium agitatus, Arnulphum per epistolas invitabat, eumque in urbe Roma Cæsarem & Augustum facta imperiali consecratione, adpellavit, vid. ANNAL. *Fuldenses ad a. 895.* REGINO *Lib. II.* & fulc. LV. *ITPRANDVS Lib. I. c. 5.* HERMANVS *CONTRACTVS ad a. 895. seq.* aliique multi. Errant itaque, qui hos Principes titulum Imperatorium, tantum affectasse scribunt.

(38) Guido enim vere inauguratus a. 891. ejus filius Lambertus a. 897. Berengarius I. a. 903. vid. post antiquos SIGONIVS *de Regno Italiae.*

(39) Consentiunt, qui fide diplomatum, & testimoniis veterum præstantiorum nituntur, accuratiores omnes, vid. BLONDELLVS *in Præfat. apologet. ad pleniorẽ assertio-*

*nem Genealogie Franc. plag. 31. 3. a.* SCHVRZFLEISCH *in Dissert. Hist. Civ. Num. III. pag. 82.* objectionibus respondent STRUVIVS & HARNIVS *in Hist. Germ. suo* cujusvis loco, & quoad *Henricum*, SCHVRZFLEISCH. *Loc. cit.* causam adducit GLABER RADOLPHVS *Lib. I. cap. 5.* concedens, inquit, ac perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet, ut ne quisquam audacter Romani Imperii sceptrum Princeps gestare appetat, seu Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa, morum probitate aptum elegerit reipublicæ, eique commiserit insigne imperiale, &c. ita enim tunc illa superstitiosa ætas credebatur, Romanam putasse sedem, non solum ritus, sed ipsam quoque dignitatem & potestatem imperatoriam procurare posse, un-



quod tamen, licet haud satis solícite, dicunt plerique hodierni. Ab exitu igitur Berengarii I. qui incidit in a. 924. sepultus quasi jacuit in occidenti titulus & nomen Imperatoris (40), usque ad a. 962. quo rex Germanorum Otto I. hunc honoris apicem cum dignitate augusta, solenniritu sibi collatum, cum Germaniae regno conjunxit. Ante vero, quam de Ottone dicamus, e re utique futurum puto, vel brevibus saltim heic intercalare controversiam, quam Græci interea Carolo M. ejusque successoribus subinde moverunt, etiamsi absque aliquo successu. Irene (41) tunc Græcis imperabat, suo aut filii Constantini nomine, quæ cum

de factum, ut præeunte Carolo M. multi subsecuti imperatores, a Pontificibus rom. coronari voluerint, alii non item, dignitatem suam ita imminutum iri verentes, ceu historia Imperatorum nos condocet. Vid. SPANHEMUS *de sicta collatione imperii in Carolum M. per Leonem III* in Tom. II. Opera. Dn. a LUDWIG in *Diff. de Jure adpellandi Reges*, BECMANUS in *Notitia Dignitat. illustrium Diff. IV.*

(40) Post Johannis X. enim decessum, qui Berengarium caesareo insigni ornavit & consecravit, a successoribus ejus VII. ad Johannem XII. usque, omissa est caesa-

rea consecratio, eo quod regum Italiae mores, Pontifici & populo romano non placerent, & inter eos præcipue Berengarius II. filiusque Adelbertus, ad tyrannidem niterentur, verba sunt SCHVRZFELESCHII *Loc. cit. p. 81.*

(41) Impotentis animi femina, sexumque supergressa, Carolus, qui jam Imperator erat, matrimonium cum Irene aspirans, de utroque imperio conjungendo, consilia agitabat, si vera sunt quæ ZONARAS habet *Lib. XV. cap. 13.* & P. D ACONVS *Lib. XXXIII.* de foderere cum Carolo sancito nullum est dubium, vidi ADELMVS, ANNALES *Fuldenses*, REGINO, EGOLIS-

cum successoribus Nicephoro, Michaelae atque Leone, non sine indignatione summa, rem novam audiebant, atenim vero cum haud pares essent tuendo orienti (42) nec dum vindicandis occidentalibus provinciis, vel æquo animo, vel necessitate coacti, legationibus & foedere institutis, occidentem Francis cesserunt (43), usque dum in nervum erumperet lis illa, haftenus composita, videlicet Ludovici II. in occidente regnantis avo, cum enim is divisione facta, tertiae partis Francorum regni tertiam tantum partem possideret (44), Basilius Macedo Graecorum tunc Imperator Ludovicum exinde non Imperatorem, sed *Regem* tantum appellandum statuebat, has tamen Basilii strophas gravi & prolixa epistola (45), Ludovicus mascule deluebat, eo qui-

C 2 eo qui-

MENSIS ad a. 802. conf. PFEFFINGERI *Virriarius Tom. I. pag. 52. seq.*

(42) Lacer enim tunc status erat orientis, a Saracenis & imprimis Bulgaris varie afflictus, vid. GEDRENS, ZONARAS, & reliqui huc spectantes Byzantinarum rerum scriptores, quorum doctam præbet Notitiam *Mart. Hawkins.*

(43) Vide tamen quæ heic disputari solent, tam de ipsa pace, quam etiam conventionis capitibus, apud V. Cl. PFEFFINGERVM *Loc. cit.* interim, licet ipsius pacifi-

cationis instrumento destituamur, testimonia tamen veterum Scriptorum certissimo sunt indicio, Imperium occidentale, solenni pacto ab orientali fuisse separatum.

[44] Hinc OTTO FRISINGENSIS *Lib. VI. cap. I.* intonat: *Vide, ad quantum defectum Romanum imperium devenit, ut, in tres partes Francorum regno diviso, tertiae partis tertia pars fuerit. &c.* rem ipsam docte, ut solet, describit SCHVRZFLEISCHIVS *Disp. de Divisione imperii Carolini.*

(45) Scripta a. 871. quæ extat in

eo quidem cum successu, ut Græci titulum & dignitatem Ottoni I. anno, quem supra signavimus, solenni ritu Romæ collatam (46), nec inviderent, nec in quæstionem admodum traherent, quin imo legatis cum muneribus ad eum missis, pacem & amicitiam ejus peterent (47). Non patitur A. A. instituti ratio longius heic excurrere, prolixave oratione, causas, occasiones, ut & translati Imperii Rom. ad Germanos (48) rationes, sub examen vocare, sufficit dixisse, postquam reges Italiæ valde inter se dissiderent, & crudeliter omnia facerent, fidemque ac pacta violarent, inter

BARONII *Annal. Tom. X.* (non IX. iste enim ultra 842. non procedit) *ad a. 871. S. 57. seqq.* ex quo & *Goldastus Tom. I. Const. Imp. & Vorburgius Vol. XII. pag. 569. seq.* & multi alii descriperunt. Quæ hujus loci sunt, legi etiam possunt apud PEEFFING. *Loc. cit. pag. 60.*

(46) Vid quos *num. 49.* adduimus evolvendos.

(47) Vid. REGINO *Continuatus, CHRONOGRAPHVS Saxo ad a. 967.* & conf. SIGONIVM *de Regno Ital. ad an. cit.* CONRINGIVM *de Germanorum Imperio Rom. cap. X.* Equidem probe constat, Nicephorum quoque Imperatorem Cpolit. quodammodo contentionem legato Ottonis, de titulo Imperatoris mo-

villisse, sed sine aliquo eventu, vid. ipsa LVITPRANDI legati munere functi *Legatio ad Nicephorum*, idem tempore Conradi III. tentavit Joannes Comnenus, quando Conradum Regem non Imperatorem diceret, at enim vero confœderationis vinculo inter utrumque imperium, omnis controversia consopita fuit, vid. OTTO FRISINGENSIS *Lib. I. c. 23. seq.* Qua ratione Fredericus I. Imp. legatos Græcos, qui haud debitam sibi reverentiam exhibebant, ad sanio rem mentem & consilia perduxerit, testatur RADEVICVS *Lib. I. c. 6.*

(48) Qui igitur brevitate heic nostram compensare possunt, sequentes nominamus, LVITPRAN-



inter alia & illud accidisse, ut eam ob causam Pontifex populusque Rom. defensores & vindicem circumspicerent, Ottonemque I. ad opem sibi ferendam invitarent. Non recusavit Saxo, & movit in Italiam, & Berengarium juniorem armis ad officium redegit, sed cum pacis leges non servaret, captum in Germaniam misit, Otto autem Romam perexit, & a populo romano Augustus Imperator proclamatus, a Papa vero Johanne XII. solenni ritu inauguratus fuit (49). Atque sic uni ex omnibus Germaniæ regibus contigit, quod ante eum nemini, ut imperium Romanum Berengario ereptum iuste constitueret, primusque augustam hanc dignitatem jure belli acquisitam, Germaniæ inferret, æternoque foedere cum Germaniæ regno (50) conjungeret. Ex quo tempore soli Germaniæ Prin-

C 3

cipes

DVM *Lib. 6. Hist. cap. 6. CONTIN-  
ATOREM Reginonis, FRODOARDVM,  
HERMANNVM CONTRACTVM ad a.  
962. LEONEM OSTIENSEM Lib. I. & ex  
recentioribus conf. SIGONIVS de  
regno Italia Lib. 6. CONRINGIVS de  
Imperio Germanorum Romano cap.  
9. SCHVRZFLEISCH Disp. de Divisio-  
ne Imperii Carolini pag. 76. seq. &  
multi alii in PFEFFINGERI Vitri-  
vio illustrato T. I. pag. 314. seq.*

(49) Vide num. preced. citatos,  
& si placet, conf. majora & accu-

ratoria *Systemata Hist. Germaniæ.*

(50) Non immiscemus nos heic  
controversiæ illi sacis celebri, an  
Imperium Romanorum per Otto-  
nem, regno Germaniæ, an vero  
solum familia Ottonianæ fuerit ac-  
quisitum? prius affirmant & de-  
monstrant MONZAMBANVS *Cap. I.  
§. 13. Cap. IV. §. 1.* conf. doctorum  
notæ. CONRINGIVS *de Germano-  
rum Imperio Romano cap. X.  
SCHVRZFLEISCH in Disp. de jure  
Augusti in Italiam §. VII. seq. COC-*

cipes, nomen Imperatoris eodem, ut Otto, jure, ritu & significatione vetusta habuerunt in hunc usque diem, quippe quod in dignitatem ejus imperii, quod Romanum vocatum est, successerint (51). Imo, cum nemo Imperatoris nomine dignus haberetur, nisi qui a Pontifice esset coronatus, ac sic tandem, nemo etiam Imperatore celsior putaretur, & illud inde consecutum legimus, ut omnes Reges, ex fragminibus imperii occidentalis exorti, illi, penes quem Imperatoria esset majestas, singularem venerationem locumque primum ultro concederent, ceu summo regi & capiti totius christiani orbis (52). Et quamvis exempla nos haud destituant, Regum (53) nonnullorum, qui titulo

CEIVS in *Jure P.* pag. 157. seq. posterius GLADOVIUS in *Hist. Germ. L. IV.* pag. 237. not. f. conf. GLAEFEI *Historia Germ. Polemica* pag. 139. seq.

(51) Conferantur jam citati, addi hic meretur VORBVRGIVS in *Hist. Ottonis I.* pag. 50. BOECLERVS in *Hist. Sec. X. in Ottone I.* & in *Diss. de Sacro Romano Imperio*, ejus Notitiae S. R. Imp. subjuncta pag. 424. de qua Dissert. tamen BRVNE-MANNVS in *Examine Juris Publ.* q. 6. judicat, rationes Boecleri contra Blondellum, magis Rhetoricam sapere quam fundamenta juris.

(52) Non potestatis sed dignitatis prerogativa, primus est inter

mundi proceres, non superior ceteris. Vide omnino quae hanc in rem diligenter collegit PFEFFINGERVS *Tom. I.* pag. 378. seq. in *Vitriario illustrato*, Dn. a LUDEWIG in *Notis ad Auream Bullam Tom. I.* pag. 346. seq. Scripta critica Blondelli, Chisterii, Boecleri satis nota, hic non commemoramus, nec, quae Publicistae varii varie, circa hanc materiam commentati sunt, ut in ea excurramus, brevitatis nostra permittit.

(53) Catalogum illorum tenuit SELDENVS insigni & erudito libro *de Titulis Honorum Part. I. cap. 2.* Du FRESNE in *Glossario latinitatis medii aevi art.* Imperator, conf.

tulo Imperatorio superbire voluerunt, factum id tamen fuisse deprehendimus, ex ambitiosa saltim quorundam æmulatione, ausuque privato, nec unquam adpellatio illa pro solenni recepta, sed paucorum arbitrio vel condonata vel relicta est, illa vero Imperatoris adpellatio, quæ usu publico & universali invaluit, quam majestas, celebritas & auctoritas firmavit, consensus universalis adprobavit, proprie & unice penes illos Principes mansit, qui in dignitatem ejus Imperii quod Romano-Germanicum vocatur, legitima ratione successerunt (54). Quæ cum ita sint, A.A. vel exinde Vobis liquido patefcere potest, summa Imperatorum nostrorum Majestas, & quam præ aliis Principibus rerumque Dominis habent, summa & singularis eminentia atque dignitas, imo facile ex hinc ferri poterit judicium, quid de præensione Russorum Tzari, in puncto tituli Imperatorii sentiendum sit.

Atque sic satis dictum esse puto, de vocabulo & titulo Imperatoris, ejusque significatione prima antiqua,

LIMNAEVUM in *Jure P. Tom. IV. ad Lib. II. cap. I.* & in *Notitia Franciæ Lib. II. cap. 1.* BOECLERVM in *Notitia S. R. Imperii pag. 83. seq.*

(54) Legi hic merentur omnes, qui de præcedentia scripserunt, CRVSIVS imprimis pag. 365. seqq.

juncto MVLZIO in *Corpore Juris P. Germ. pag. 81. seqq.* reliquos brevitatis nostra non capit, adde tamen MONZAMBANVM *Cap. I. §. 12.* & doctorum notas, illustris præsertim *Thomasi.*

qua, recentiori etiam, usuque hodie recepta. Porro nunc, ex methodo suscepta restat, ut pace Vestra ostendam, quid Historia civilis, de titulis, quibus Rufforum Principes per temporum decursum, curiali suo stilo usi sunt, nos edoceat. In limine vero statim moneamus, ante seculi XV. ævum, parum indubitati, de statu Rufforum dici posse (55), illud certum, ex quo vicinis gentibus moratoribus innotescere cœperunt, Principes gentis illius, in usurpandis adhibendisque titulis mirum in modum variasse. Primi, de quorum certa apud exteros fama, *Duces* sese appellari voluerunt (56), posteaquam vero *Ivan VVasilivoviz I.* (57) jugum Tartaricum (58) felici successu excussisset, secunda, ut

(55) Cuius adducit TREVERVS in *Prefat. Der Einleitung zur Moscovitischen Historie*, libello utique insigni, defectum scilicet bonorum scriptorum in hac gente.

(56) Ex testimonio omnium historicorum, qui res Moscoviticas vel descriperunt vel attigerunt.

(57) Nomina propria secundum idioma Russicum exprimere, bene nobis visum est, ut heic ita alibi semper, nec enim illorum mos nobis placet, qui peregrina nomina aut latine reddunt, aut saltem ita inflectunt, ut in incerto prorsus relinquant. Vid. doctissimam *Præ-*

*fat. ad Du FRESNE Glossarium Lat.* §. 15, interea ut intelligi queat, quid nativæ Rufforum appellatio-nes sibi velint, & latine eas reddemus. *Ivan* igitur Joannem significat, *Vasiliviz*, Basilidem s. Basilii filium, atque ita & in reliquis, Russi enim, B per W scribunt & pronuntiant.

(58) Factum hoc circa a. 1477. & quidem instinctu uxoris Sophiæ, ex Imperatoribus Cpolititanis genus ducentis, quæ servo Tartarorum sese nupsisse quotidie conque- rebatur, tandem illius suavis & assiduis cohortationibus, Ivanus ju-

da, ut fieri solet fortuna sufflatus, primus se *Magnum Ducem* (59) & *Dominum Rufforum* adpellavit (60). Quem titulum successor ejus & filius *VVasilius Ivvanovvitz* (61), nova accessione, novoque nomine *Tzar* adauxit, de qua adpellatione ejusque vero significato, pauca licebit adducere, & id quidem vel ex ea ratione, quod a variis varie illud interpretari cognoscamus (62), denique etiam praetensioni Rufforum Monarchæ, haud leve pondus accedere videatur, si vox

D illa

gum illud, tanto principe indignum, mira arte excussit, vid. ANONYMI *Genealogiam Ducum Moscovia pag. 4.* HERBERSTEINIUM in *Rerum Moscovit. Commentariis pag. 8.* HEIDENSTEIN de *Bello Moscovitico pag. 334.* extant singuli in *collectione Scriptorum Rerum Moscovit. Bongarsii*, quæ perperam Frebero adscribitur, prodiit *Francofurti 1600. f.* DAN. PRINZ a BVCHAV *Ortus & Progressus Moscovia pag. 27, 202. seq.*

(59) Formula quidem Ruffis admodum recepta, qui prædicatum *Magni* non nisi excellentioribus personis tribuere solent, vid. HERBERSTEIN *Loc. cit. pag. 89.*

(60) Variant hic quodammodo scriptores, PRINZ a BVCHAV *Loc. cit. pag. 24.* dicit *Danielem* (Ruffis *Danilow*) qui sub initium

*Sec. XIV. regnavit, sedem suam in urbem Moscuam transtulisse, titulum Magni Moscovia Ducis primum sibi usurpasse, pag. 27.* vero scribit, *Ivanus Baslides primus titulum Magni Ducis Vladimiriæ, Moscoviæ & Novogardiæ sibi usurpavit, seque Monarcham totius Ruffiæ appellavit.* Ivano tamen primum huius tituli usum attribuit HERBERSTEIN *Loc. cit. pag. 7. & 11.* quem sequitur PÉTREVS in *der Moscovitisch. Chronie. Lib. II. pag. 165.* & hos TREUERS *Loc. X. cit. pag. 21.*

(61) Quem latine scribentes *Basilius* *Johannis* nominant. Errat itaque AVCTOR *des Polit. Bedencken vom Kayserl. Titul pag. 16.* ubi scribit: non satis constare, quo tempore Rufforum Domini, titulum Czaar sibi usurpaverint.

(62) Diversitas ista procul du-

illa, Ruthenico idiomate idem signet ac latinum vocabulum Imperator vel Cæsar, unde & unam rationem esse, quibus prætensionem Russi firmare nituntur, quæ ex significatione vocis Tzar deducitur, infra docebimus. De orthographia supra (63), jam dictum esse audivistis. VVasilium vero Iwanowitz, (qui prius Gabriel dictus fuit) hunc sibi attribuisse titulum, accuratiores omnes uno consententur ore (64), ridentque *Jovium* (65), qui cupiisse Basilium scribit, regii nominis titulum concessione pontificia promereri, quem & pluribus a Cæsare Maximiliano legationibus postulasse, idem nugatur. Illud indubium, adjecisse VVasilium novo curia-

bio exinde oritur, quod exteri omnes fuerint, qui vires suas in his rebus periclitari voluerint, adeoque sidiomatis russici forte ignari, hinc dum varii Ruthenicum illud Tzar, Latine reddere voluerunt, in varias abiere sententias. Idem & hodie circa nomina exterarum gentium usum apud illos venit, qui sine ulla accurata & solida indagatione in chartas conjiciunt, quicquid primo intuitu illis occurrit, adeoque & deridendos sese exteris propinant, adjicerem exempla nisi essent odiosa.

(63) Pag. 6. (\*), istud illic dictis adjici meretur, ex omnibus qui in rebus Moscoviticis quicquam scri-

perunt, unum AVGVSTUM a MAYERBERG in *sui Itineris & Legationis Moscovitici descriptione*, vocem illam semper recte scripsisse, HEIDENSTEIN *Loc. cit. pag. 334. Clarum* habet. Legi etiam meretur quæ LVNIG. habet in *Theatro Ceremoniali pag. (26)*.

(64) Quales sunt HERBERSTEIN. *Loc. cit. pag. 11. HEIDENSTEIN. Loc. cit. GVAGNINVS Loc. cit. pag. 182. ANONYMVS in Genealogia Ducum Moscov. pag. 3. conf. TREVERVS Loc. cit. pag. 56.*

(65) Vid. ejus *Librum de Legatione Moscovitarum ad Papam Clementem VII. inter scriptores rerum Moscovit. Bongarsii pag. 120. con-*

curiali stilo vernaculum suum *Tzar*, exteri vero (66), qui Rhuthenicum idioma minus callebant, vocem illam latinis verbis exprimentes varie transtulerunt, alii per vocem *Cesar*, rursus alii per *Imperator*, respectu videlicet habito partim ad laetissimas provincias, partim ad summam & monarchicam, in gentem hanc domnandi rationem (67), alii (68) dignitatem significare

D 2

sta-

tradicit Jovio HERBERSTEIN. *Loc. cit. pag. 12.* conf. Dom. a LVDEWIG *kleine deutsche Schriften pag. 55.* TREVERVS in *der Einleit. zur Moscov. Hist. pag. 57.*

(66) Primi enim, qui describendis rebus Moscoviticis operam laudabilem posuerunt, aut qui legationum munere ad aulam Russicam functi sunt, vel Germani, vel Itali, vel Sveci, vel Dani fuerunt, russici sermonis accurata notitia vix omnes tincti, multo minus imbuti, unde factum omnino, ut vox domestica Russorum *Tzar*, nec orthographice ab iis fuerit scripta, nec debite latinis literis expressa. Atque hinc illa diversitas, conf. dicta num. 62. & 74.

(67) Per vocem *Rex* transtulerunt HERBERSTEIN. *Loc. cit. pag. 11.* IOVIVS *Loc. cit. p. 120.* ANONYMVS *Genealogie Ducum Moscov. p. 12.* qui tamensui quasi, oblitus *p. seq. per Mo-*

*narcham* interpretatur. BVCHAV *Loc. cit. pag. 209.* HEIDENSTEIN. *Loc. cit. pag. 334.* GVAGNINVS *Loc. cit. pag. 182.* MAYERBERG *loc. cit. pag. 63.* OLEARIVS in *Itinerario pag. 220.* Sequentibus idem est ac *Cesar* (forte propter affinitatem, quae in utraque voce cernitur) videlicet CLEMENTI ADAMO in *descriptione navigationis Anglorum ad Moscoviam. pag. 147.* quamvis indiscriminatim & vocem *Princeps* & *Dux* adhibeat. PHIL. PERNSTEINIO in *Relatione de Statu Regni Moscov. plus vice simplici, apud Honorium in thesauro Pol. Alii vero per Imperatorem reddunt, ut FABER de Religione Moscov. pag. 132.* inter script. rerum Moscov. BREDENBACHIVS in *Hist. belli Livonici pag. 227.* & alibi saepe. VHLFELD in *Hodocoprico Ruthenico pag. 16. 24. & 31.* POSSEVINVS vero in *Moscovia pag. 7. & 82* scribit, *sive Rex, sive Imperator.* (68) Vid. ANONYMI *Politi-*

statuunt, *inter imperatoriam & regiam, intermediam*, quicquid hujus sit, illud constat exteros ansam VVasilio ejusque successoribus suppeditasse, de titulo Imperatorio cogitare, cum enim Russorum Magni Duces perciperent, se ab exteris nationibus illo honoris titulo designari, coeperunt tandem & ipsi altiora spirare, novumque axioma sibi tribuere, imò cum tempore eo prolapsi fuere, ut legationem & pacificationum occasionibus, de titulis sibi tribuendis, gravissimas læpe caussarent controversias. Sed antequam ad has recensendas nos conferamus, pace vestra A. A. paucis adhuc circa vocem *Tzar* occupabor, quippe quod, totius ceu prædixi, prætensionis Russicæ cardo in ea fere vertatur. Et quidem etymologiâ vocis hujus quod attinet, sunt (69) qui ejus originem ex lingua hebraica deductam esse putant, & quidem vel a צָרָה *Zarab, balsamum*, hinc *Tzar*, quasi *unctus balsamo*, forte quod Reges eo ungi mos olim fuerit; vel a צַר quod idem significare dicitur, ac *princeps*, at enim vero, ut taceam, has originationes ex hebraico idiomate deductas omni carere fundamento,

lon-

*sches Bedenken vom Keyserl. Titel pag. 16. seq. qui & pag. 45. de voce Czar differuit, pari ratione & alter ANONYMVS in der Grundmassigen Untersuchung pag. 62. seq.*

(69) OLEARIVM intelligimus in *Itinerario Moscovitico - Persico pag.*

220. ubi ad *Gen. XXXVII, 25. Jerem. LI. 8.* provocat, ANONYMVS in *der Grundmassigen Untersuchung*, qui *pag. 63.* Olearium sequitur, *pag. 67.* vero suam conjecturam profert. Conf. si placet, hanc in rem *Lexica hebraica.*



longiusque esse petitas (70), utrumque vocabulum erronee vel scriptum, vel adductum est, locis enim illis biblicis, quibus *Olearius* conjecturam fundari suam nititur, vox צרה quæ *balsamum* denotare debeat, plane non occurrit, verius autem צרי & צרי, pari ratione neque vos צר verum צר, apud hebræos principem denotare in propatulo est. Veriora igitur nos docet *Daniel Prinz a Buchau* (71) scribens: *vocabulum Czar a Scythis (Tartaris) gente vetustissima, quorum Duces Czari vocantur, originem traxit, inter hos Cazanenses & Astracani superioribus temporibus suos habuere Czaros, hos Joannes Basilides, uti dictum est, in potestatem suam redegit. Horum titulum ergo Moscoviæ Dux sibi nunc usurpat, & utriusque loci sese Czarum nominat, unde autem hoc vocabulum scythicum originem sumpserit, du-*

D 3

bium

(70) Quis enim credat, Wasilium Ducem, qui primus, uti supra dictum, id nominis sibi usurpavit, hebraice doctum fuisse, aut saltem adpellationem ex lingua hebraica petitam, titulo suo adjicere voluisse, Russorum status tunc tam barbarus erat, ut vix aliquem in hac gente hebraicam caluisse, credamus. Nisi forte cum *Cl. Viringa*, aliisque doctis dicas, multas linguæ primavæ reliquias, in Scytharum Asiatiorum lingua deprehendi, adeoque, a nomine צר, Scytharum Tzar

profluxisse; quæ conjectura majorem probabilitatis speciem haberet, si vera esset sententia doctissimi *Flecheri*, Tartaros s. Scythas, originem ducere a Judæis, qui exilio in Assyria perpetuo perierunt.

(71) Maximiliani II. & Rudolphi II. Imp. consiliarius & bis ad Johannem Basilidem legatus extraordinarius, cujus breve rerum Moscovit. compendium prodijt sub tit. *Ortus & progressus Moscoviæ*, in quo pag. 207. seq. leguntur a nobis adducta.

*bium est* (72), intelligit autem Johannem Basilidem II. at vero, in eo ab aliis discedit, qui primam usurpationem tituli *Tzar*, accuratius Vvasilio Iwanowizio adscribunt (73). Atque sic satis dictum esto, de nomine *Tzar*, ejusque origine, recta scribendi ratione, ut & varia interpretatione. Restat ut porro nunc breviter proferam, quid historiae illius gentis conditores nos doceant, de incrementis tituli Principum in ea gente, factisque cum tempore, hac in re, novis mutationibus & accessionibus. Dictum vero supra, rerum dominos in ista gente, olim *Duces* fuisse dictos simpliciter, dein *Magnos Duces & Magnos Dominos* sese appellari voluerunt, usque dum Vvasilius Iwanowiz nomen *Tzar* adjiceret. Tandem ubi exteri (74) latine aut germanice scribentes, novum illud nomen *Tzar*, nunc per *rex* nunc

(72) GWAGNINVS in *Descript. Moscovia pag. 182.* scribit, omnes reges Tartarorum nomine *Czar* vocari, vocem autem illam esse Slavonicam s. Ruthenicam. HERBERSTEIN *pag. II.* idem dicit, sed de Tartarorum usu nihil habet. MAYERBERG. *l. cit. in Moscovia pag. 63.* ait, Magnum Russorum Ducem, non Moschorum Tzarem, sed distincte Tzarem Casani, Tzarem Astracani, Tzarem Siberiae sese vocare, Conf. dicta. *num. (70)*

(73). Hos jam allegavimus supra *num. (64)* ANONYMVS *Genealogie Ducum Moscov. pag. 2.* scribit,

Constantinum Imp. Cpol. cum Vlodimirus, *μωβιμαχος* dictus, bellum adversus graecos moliretur, legatos cum magnis muneribus ad eum misisse, *Zarique* nomine ipsum salutare iussisse, quae si vera sunt, jam dum sec. X. vocem istam in usu fuisse dicendum erit, imo sunt qui hunc Vlodimirum, primum Russorum *Czar* dicunt, vid. MICRAELII *Hist. Pol. P. II. p. 341. seq.*

(74) Repete dicta *pag. 27. seq.* GWAGNINVS *loc. cit.* Germanis imprimis adscribit, dicens: Nunc autem multi eum, Ivvanum Wasilowiz, imperatoris titulo, *praecipue*

nunc per *Cæsar*, aut etiam per *Imperator* interpretarentur, factum inde fuisse comperimus, ut & ipsi Russorum principes, sese Imperatores appellare inciperent, ita tamen, ut quoties authentico adeoque vernaculo sermone uterentur, suum *Tzar* adhiberent, si vero latina aut Germanica lingua fieret primo quidem *regis*, deinceps vero & *imperatoris* axioma adjicerent, usque dum, modernus magna cum auctoritate regnans *Tzarus*, & in vernacula sua, sese *imperatora* subinde nominare sustinuit (75). Ne autem gratis ista dici videantur, Vestra A.A. patientia ipsos Russorum Principum titulos, qualiter stilo curiali russo, pro diversitate temporum principumque ingenii, exprimere & adornare mos fuerit, breviter commemorabo. Primis temporibus, qui divisas Russiæ magnæ provincias tenebant Principes, simpliciter *Duces* dicebantur magnorum ducatum, aut *Vladomiria*, aut *Moscovia*, aut *Novvogradia* &c. (76) Posteaquam vero *Iwanus VVasiliviz I.*

ju-

vero Germani venerantur, qui Slavonicæ linguæ ignorantes, pro Rege Imperatorem ponunt &c. quæ si vera sunt, mireris, hodie germanos præ aliis abhorreere a præensione tituli Imperatoris.

(75) Dolemus vero hæc impense, nos plane destitutos esse documentis russo scriptis, ex quibus stilum curialem circa titulos adhibitum, exinde cognoscere posse-

mus, quæ hanc in rem damus, latinis vel germanicis relationibus debemus, est tamen liber ad manus, *Amstelodami 1705. 4.* impressus, in quo multa symbola & emblemata continentur, jussu hodierni Monarchæ collecta & exæusa, in cujus fronte extat titulus libri russo scriptus, in quo vox *Imperatora* legere est.

(76) Vide quæ supra hanc in rem

jugum Tartarorum feliciter excussisset, adeoque fundamentum Monarchiæ Russicæ posuisset, *Magnum Ducem totius Russiae* sese adpellavit (77), ejus filius & successor *VVasilius Iovannovvitz* nomen Tzar aliaque nova prædicata, titulo suo inseruit, hoc quidem modo: *Magnus Dominus VVasilius Dei Gratia Tzar & Dominus totius Russiae, & Magnus Dux VVlodomiria, Moscovvia &c. Dominus & Magnus Dux Novvogradia &c.* (78), imo hunc principem Russorum, a Maximiliano I. imp. axioma latinum *Imperator* adeptum esse, sunt qui statuunt, qua de re infra mihi dicendi esse relictum locum sentio. *Iovannus VVasilvovvitz II.* qui patri successit MDXXXIII. majorique cum auctoritate quam antecessores, imperavit, licet vulgo male admodum audiat (79), titulum usurpavit hujus tenoris: *Nos Magnus Dominus, Tzar & Magnus Dux totius Russiae, Iovann VVasilvovvitz, Magnus Dux VVlodomiria, Novvogradia, Moschovia &c. Tzar Casania & Astracania &c. Dominus Severia, Livonia &c. Regionum orientem, meridiem, septentrionem & occi-*

diximus p. 24.30. & ibi citatis adde

POSSEVINI *Moscoviam* pag.24.

(77) Repete dicta hanc in rem pag.24. seq.30.

(78) Diximus & de isto Principe supra pag. jam citatis.

(79) Vide PAVLI ODERBORNII

V. D. M. Caunæ Lithuanorum *Libros III.* quibus a. 1584 *Vitam Johannis Basilidis* descripsit, extant in collectione Bongarsii pag.240. seqq. in quibus nigro admodum calculo hunc Principem depinxit, quem alii ut plurimum secuti sunt. *Apo-*

occidentem versus Dominus, legitimus heres & successor (80). Imo principis hujus fastuosa insolentia eo processit, ut praeter illam titulorum seriem, *Germanorum* quoque *Imperatorem*, ad Turcam scribens, vocari se aliquando iusserit (\*). A morte Iwani VVasiliwiz II. quæ a. 1584. infecuta est, cum horrendi motus rerumque conversiones in Russia contigerint, quibus post defunctum *Fædorem Iurvanorviziium* (81) implicarunt regnum, aliquot de imperio certantes (82) candidati, qui vel mutuo se subverterunt, vel alio casu extincti sunt, vel cesserunt dignioribus, parum aut nihil detitulis illorum legimus (83), nisi quod *Demetrius II.*

E

titu-

logiam vero pro Joanne Basilde II. tyrannidis vulgo falsoque insimulato scripsit GOTTL. SAM. TREVER 1711. 4. cujus recensionem dederunt *Trevoltiensis* a. 1719. Febr. pag. 290. seq. *Die gelehrte Eamap.* 1. pag. 745. seq.

(80) Vid. HERBERSTEIN pag. 11. GWAGNINVS pag. 182. in dicta collectione. BVCHAV in *Ortu & Progressu Moscovia* pag. 214. qui tamen in nonnullis ab invicem discrepant, prout videlicet diversimode voces russicas latine interpretantur vel scribunt, *Republicam Moscovia* ex officina *Elzeviriana* publicatam 1630. nunquam aut raro citamus, quippe quod pleraque ex collectione illa supra citata, sint exscripta & in compendium redacta.

(\*) *Damus* ista ex POSSEVINO num. 176) citato, ubi sequentia addit: hinc intelligi potest, quid de *Germania & occidentis ulteriore tractu* in animo coxerit *Moschus*, quando cum *Carolo V.* ac *Ferdinando* ejus fratre, hujusque filio *Maximiliano* videri voluerit amicitiam colere.

(81) Exteris *Theodorus Joannis s. Joannides*, Russi enim *Th* scribunt & pronunciant ut *Pb*, is obiit sine prole relicta a. 1597. hinc horrendi illi & cruenti motus.

(82) Quorum Historiam breviter & egregie descriptam dedit DN. TREVERVS in *der Einleitung zur Mostowit. Hist.* pag. 224. seqq.

(83) Cum enim turbulento illo Russiae statu, nullæ legationes con-

titulum *Imperatoris christiani ab oriente ad occidentem*, satis fastuoso conatu sibi usurpaverit, idem & fecit uxor *Marina*, quæ in epistola quadam ad Regem Poloniae missa, *imperatricem Moscovia* sese subscripsit (84). Neque aliter animatos fuisse subsequentes Russorum Monarchas, illorum nos Historia condonet, quin immo & illud exinde discimus, qui seculo XVII. in hac gente imperarunt Principes, non solum majorum suorum titulos pertinaci cura retinuisse, iisque admodum sibi placuisse (85), verum etiam longo firmate protraxisse, gravesque subinde, pacificationum & legationum occasione motus & controversias causasse. Sed antequam lites illas de titulis sibi tribuendis, sequenti momento commemoramus, porro nunc & imprimis ostendendum est, quomodo modernus Russorum potentissimus ac celeberrimus *авторъ* (86) hac in parte sese gesserit (87), nemo autem

tigerint, nec inter regni amulos satis constaret, quis pro legitimo habendus esset, hinc in illo intervallo, parum aut nihil ad præsentem materiam legere est.

(84) Etiam Demetrius II, revera impollor & invasor regni esset, vid. TREVERVS *Loc. cit. pag. 323. seq.* & ibi citati.

(85) Hinc, si qui rerum Domini inter christianos, tenaces dicendi sint in curiali quoad usum tituli,

revera id de Russis affirmari debet ac potest, exemplis demonstratum dabimus sequenti momento, ubi de controversiis ob titulaturam sæpe obortis, differendi erit locus. Hic illud tantum adjicimus, omnes & singulos subditos, sub poena criminis læsæ Maj, obstringi, in titulo Principis sui nihil vel omittere vel mutare, vid. LVNIG in *Theatro Cereimoniali pag. 150*

(86) Usurpo istud vocabulum,

tem in isthoc negotio melius nos edocere poterit, quam LVNIGIVS (88), vir eruditione & diligentia celebris, ex cujus insigni opere, in compendio dabimus apprime huc pertinentia, & quidem, qualem Tzarus adhibere soleat titulum in scriptis, ut vocantur, cancellariis, ad exteros proceres emanatis, in Diplomatribus seu literis patentibus, quibus vel salvus conductus, vel privilegium quoddam impertitur. Priori respectu, rursus in quibusdam variare stilum videmus, pro diversitate illorum ad quos Tzarus subinde scribit, in poste-

E 2

riori-

quod videam, posteriores Tzaros usque ad praesentem Petrum, & hoc nomen titulis suis adjecisse, in æmulationem forte, aut ad imitationem Imperatorum Græcorum, quibus id nominis in usu fuit, & quo Græci scriptores vocem *Imperator* expresserunt. Russi per *Samoderitche, ipse dominans*, reddunt, Germani per *Selbst-Erhalter*, licet satis imperite, *царя Фелдшер*, vid. LVNIG *Loc. cit. pag. (26)*.

(87) Fortuna enim, quod omnibus Russorum Monarchis hæcenus denegaverat, Petro, hodie ad stuporem magna cum auctoritate regnanti, largiter contulit, hinc, rebus ex voto illi ab a. 1709. cadentibus, ad majora animum induxit suum, quam efficere illum posse,

vel paucis ab hinc annis crededamus omnes. Non commemo felices armorum successus, mutatamque imperii, secundum omnes status, faciem, illud tantum dico, depulsa barbarie, quæ in aula prædecessorum regnabat, illum & splendorem addidisse, & quæ ceremoniarum aulicarum adparatum spectant, sollicitè introduxisse, ut ejus aula his partibus, exterorum Procerum moribus, nihil nunc cedere videatur. Quo & spectat Tituli tenor, magna cum cura adornatus, & insignium decora in formam justam & debitam redacta, ceu in sequentibus plura dicentur.

(88) In laudato nec tamen satis, & insigni *Theatro Ceremoniali Historico-Politico*.

rioribus idem semper observatur tenor. Ad Imperatorem Romanum, sequenti ratione titulum Tzari adornari cognoscimus: *Divina favente clementia Nos Serenissimus ac Potentissimus Magnus Dominus, Czaar, & Magnus Dux Petrus Alexievoviz, totius magna, parva & alba (89) Russia Autocrator &c. Czaar Casani, Czaar Astracani, Czaar Siberia &c. Dominus & Magnus Dux Novogrodia &c. nec non totius septentrionalis orae Imperator &c. ac aliorum multorum dominiorum ac terrarum orientalium, occidentalium & septentrionalium paternus avitusque Hares, Successor, Dominus ac Dominator (90).* Germanice ita sonat: *Von Gottes Gnaden, VVir Durchlauchtigster und Mächtigtster grosser Herr, Czaar, und grosser Fürst, Peter Alexievoviz &c. (91).* Ad Regem Suecix: *Nos Dei Gratia Magnus Dominus, Czarus ac Magnus Princeps, Petrus Alexii filius &c.* reliqua a priori nihil differunt. Ad Rempubicam Polonix: *Nos Petrus Dei Gratia Imperator*

(89) Atque hinc olim exteri, notitia accuratior de statu Moscovitico desituti, Russorum Monarcham *album regem* adpellabant, torquebat se diligentissimus HERBERSTEIN in *Rebus Moscovia pag. 16.* in indaganda hujus prædicati causa, cumque eam invenire haud posset, conjecturam suam interponebat, videlicet, ita forte adpella-

ri propter *album capitis tegumentum.* GWAGNINUS vero in *Descript. Moscov. pag. 182.* verius hanc in rem differit, videlicet ita dictum esse, quod partem Russix, quæ *alba* dicitur, possideat, quæ utique vera hujus prædicati ratio, conf. SELDENVM de *Titulis Honorum P. I. pag. 86. seq.* (90) vid. LVNIG *Loc. cit. pag.*



perator ac Magnus Dux Moscoviae, totius Magnae, Par-  
 vae & Albae Rusſiae Autocrator, quin & multarum a-  
 liarum orientalium, occidentalium & ſeptentrionalium  
 provinciarum atque regionum antiquus Haeres, Domi-  
 nus atque Monarcha &c. (92). In Diplomatiſibus ſe-  
 quens tituli Ruſſici deprehenditur tenor: *In Nomine*  
*Domini, Amen. Nos Petrus divina favente gratia,*  
*totius magnae, parvae & albae Ruſſiae Imperator &c. Si-*  
*beriae & Aſtrachani Rex, Magnus Dux Moscoviae &c.*  
*& aliarum orientalium, occidentalium & ſeptentriona-*  
*lium regionum ac provinciarum antiquus haeres, Domi-*  
*minus & Monarcha &c.* Germanice vero: *Von Got-*  
*tes Gnaden VVir Durchlauchtigſter und Großmchtig-*  
*ſter Groſſer Herr, Czaar und Großfürſt, Petrus Alexie-*  
*viz, des ganzen groſſen, kleinen und weißen Reuſ-*  
*ſenlandes Selbſterhalter<sup>(\*)</sup>, wie auch vieler Oſt-VVeſt-*  
*und Nordiſchen Herrſchafftien und Länder, Väterlicher*  
*und Groß-Väterlicher Erbe, Herr und Beherrſcher &c.*  
 (93). Atque iſta ſpeciminis loco ſufficiant de titulo,  
 quem Ruſſorum Monarchæ decurſu temporum uſque  
 ad modernum imperantem *Petrum*, ſibi uſurparunt,  
 unum illud adhuc adjiciendum puto, omnibus ſcē-  
 ptro Ruſſico ſubjectis incolis natione germanis, duo-

E 3 bus

149. (91) IDEM pag. 150. (92) IDEM | (93) Et iſta datus ex LVNIGIO  
 Loc. cit. pag. 149. (\*) vid. num. 86. | Loc. cit.



bus abhinc & quod excurrit lustris, expresso mandato injunctum fuisse, ut Principem suum, germanice *Käyser*, *Ibro Käyserliche Majestat*, compellent (94.), in libellis vero supplicibus, breviter tantum inscriptionem (*die adresse*) faciant, russice quidem: *WVoffse Milcist Vischia Sudaria*, germanice: *An Ibre Großmächtigste Allernädigste Majestat* (95).

Atenim vero vellicare heic mihi aurem sentio, & esse qui dicant facile intelligo, videlicet, speciosa ista utique & satis magna esse, quæ de amplissimis Tzarorum titulis in medium sunt adducta, illud autem venire omnino in questionem, an etiam exteri orbis regnantis proceres rerumque domini, omnia illa magna axiomata, & imprimis prædictum *Regis & Imperatoris*, Russorum Monarchis ultro concesserint, rataque habuerint sine omni unquam contradictione? ad quam objectionem ut respondeamus, dicendorum supra a nobis facta dispositio jam postulat, adeoque ostendere, quales & quantæ controversiæ duobus abhinc seculis, Russorum Monarchis intercesserint, cum exteris Regibus & Principibus, in causa titulorum, quos illi sibi ab his dari pertinaciter sepeur-

(94) Testatur hic publicam famam, omnesque subditos Russicos, qui natione sunt Germani, præfer-  
 tim in Livonia & alibi &c.  
 (95) Ita nos docet Dn. LVNIG,  
 Loc. cit. pag. 401.

pe urferunt. Ultra vero seculi XVI. aetatem, non erit ut ascendamus, qui enim apud Russos ante illud aevum regnarunt, obscuri & vix tanti fuerunt, ut extra fines suos vicinis moratoribus innotescerent (96), ex quo

(96) Equidem probe mihi constat, RAYNALDVM in *Annal. ad a. 1484. pag. 337.* referre, Joannem Basilium poposcisse a Sixto Papa, regium vel imperiale nomen, Sixtus vero Poloniae Regi Casimiro, qui adversari videbatur Moscho, qui adversari videbatur Moscho, rescripsit, se illius consulturum juribus, nec inconsulto Moscovitam totius Russiae Regem Imperatoremve se dicturum &c. at enim verum cum idem dicat poposcisse hoc a Sixto, ut *Christi vicario*, HERBERSTEINVS autem *Loc. cit. pag. 11. seq.* ut testis videns affirmet, Papam a Russis, pro supremo doctore saltim & pastore ecclesiae Romanae haberi, insuper etiam apud Scriptores Rerum Moscovit. in Johanne Basilio I. nihil hanc in rem extet, POSSEVINVS quoque in sua *Moscovia pag. 30.* fateatur, Russos frigidè ad modum de Pontifice loqui, inter parasiticas veritates, quibus Raynaldus abundat, illa locum suum habeant. De *Jovio*, paria de Basilio Iwanowiz nugante, diximus supra *pag. 26.* Eundem Jo-

annem Basilidis a. 1486. legatum misisse ad Maximilianum I. testatur LEHMANNVS in *Chron. Spirensi Lib. VII. cap. 120.* de qua tamen nihil notatu dignum affert, quod heic locum aliquem habere possit. Quae vero *Rolewinckii Continuator 10.* LINTVRIVS *ad a. 1491.* scribit, Ducem alborum Ruthenorum per legationem suam, in comitiis Noribergensibus Maximiliano Imp. fecisse obedientiam, suo nos linquimus censu, illud indubium, accuratiores, & in his, rerum Poloniarum scriptores, nos docere, maximam Russiae albae partem Poloniae finibus complecti, licet quosdam tractus ex ea Tzarus possideat, vid. doctissimi HARTKNOCHII *Rempubl. Poloniae Lib. I. cap. XI. pag. 235.* ex quo & illud discimus, circa finem saec. XV. habuisse Russiam albam suos Duces vel regulos, fortunis & genere clarissimos, quorum multi circa a. 1490. ob contumeliam sibi in regia Polonica illatam, ad Moscum defecerunt, quae singula vetant nos credere pos-

quo autem sub initium sec. XVI. VVasilius Iwanowiz rerum gestarum fama gentis suæ nomen clarius redderet, legationes quoque ab exteris Principibus ad Russorum Monarchas subinde fuisse missas, historia testatur, unde & evenisse legimus, ut de titulis, quibus Russos admodum sibi placere supra jam diximus, non simplici vice fuerit disputatum. Prima, cujus præ aliis certior noticia, legatio est, quam auspiciis Maximiliani I. Imperatoris binis vicibus obiit *Sigismundus Liber* (97) *Baro ab Herberstein*, quam ipse doctissimo Commentario illustratam publicavit (98), & vel ex ea ratione diligenter notanda, quod occasione hujus legationis non solum foedys inter Maximilianum I. & VVasilium, contra Sigismundum Regem Poloniæ (99) initum fuisse dicatur, verum etiam in

Di-

*c*, *Linturium*, de Magno Moscoviæ Duce intelligendum esse,

(97) Errat igitur ANGELVS ROCHA, quando in *Bibliotheca Vaticana*, de Moscovitarum Religione scribit: Sicut *Sigismundus Liber* in rerum Moscoviticarum Commentariis testatur &c. Eundem errorem & DVRETVS dans le *Thresor de l'Histoire des Langues* pag. 833. commisit scribens: Ce que fait aussi *Sigismund Liber*, en ses *Commentaires des choses de Moscovie*. SELDENVS de *Titulis Honorum* pag.

87. simpliciter illum vocat, *Sigismundum* Baronem Imperii.

(98) Prodiit primum *Vienne & Basiliae 1551. 8. Antwerpiae 1557. 8.* cum *vita Jo. Basilidis*, extat & in collectione Scriptorum Rerum Moscov. quæ prodiit Francof. 1600. f.

(99) Haud bene animatum fuisse Maximilianum I. in Sigismundum Regem, discimus ex DECIO de *Sigismundi temporibus* apud Pistorium in collectione Script. rerum Polon. Tom. II. pag. 317. 322. ORICKOVIO in *Orat. funebr. Sigismun-*

Diplomate ad VVasilium germanico idiomate emanato, prædicatum *Kayser* Russorum Monarchæ fuerit collatum, qua de re infra *num. (124)* ex instituto mihi agendum esse sentio. Iwanus VVasilwiz II. a. 1548. & altera vice a. 1556. legationem misit ad Imperatorem Carolum V. sed de titulo aliquam enatam fuisse controversiam, non legimus (100). Pari ratione & a. 1575. nomine Regis Danorum Friderici II. legati munus obiit *Joannes Ublfeldius* (101), & a. 1578. *Daniel Prinz a Buchau* (102), Maximiliani II. Imp. legatus, ad eundem Iwanum missus fuit, motam vero circa titulum fuisse aliquam controversiam, neque ex horum relationibus quicquam concludas. Anno 1579. *Philippus a Pernstein*, apud eundem Principem legati munere functus est, auspiciis Rudolphi II. Imp. quem forte inter alias & ex ea causa summo honore acceptum fuisse legimus, quod Iwanum in audientia, quam vocant, allocutus fuerit: Magne Princeps, *Cæsar*

F

*di*, ibidem Tom. 3. pag. 49. NEVGEBAUERO in *Hist. Polon. Lib. 7. pag. 464.* conf. TREVERVM in *der Einleitung zur Moscowit. Hist. pag. 28. seq. 34. seq.*

(100) Vid. LEVENCLAIVM Tom. III. *rerum Polon. Pistorii pag. 137.* CHYTRAEI *Saxoniæ pag. 428. 483.* TREVERVM *Loc. cit. pag. 62. 76.*

(101) Prodiit ejus *Hodaporicor Ruthenicum* opera Goldasti, *Francos. 1627. 4.*

(102) Diximus de eo jam supra pag. 29. hic illud tantum addimus, ejus libellum sub tit. *Moscovia ortus & progressus*, opera nepotis sui prodiisse, *Gubena 1681. 12.*

*far* Princeps & Domine (103). Interea bellum funestissimum inter Russos & Polonos exarserat (104), quo durante, circa finem anni 1581. Antonius Possevinus e Soc. Jes. Russiæ fines ingressus fuerat, ad tentandam & procurandam, qua posset, unionem religionis inter ecclesiam Ruthenicam & Romanensem. Sed cum gravi bello implicatum cerneret Rufforum Monarcham Iwanum VVasilwiz II. de illo componendo, omnem movebat lapidem, scribebat igitur ultro citroque literas ad Principes belligerantes, suamque interponebat operam, eo quidem felici eventu & successu, ut a. 1581. mense Dec. legati utriusque partis litigantis, ad pacem conciliandam loco designato convenirent. Statim vero ac consultationibus fieret initium, plenipotentiaque legatorum esset perlecta, inter alias causas, & de plenipotentiarum, ac tandem sessionibus XII. XVI. XVII. etiam de titulorum formulis acriter fuit disceptatum, Iwanus enim VVasilwiz in plenipotentia literis, inter alia tituli sui axiomata, etiam prædicatum *Czar*, imo & *Imperator* adjecerat, itaque legati ejus postulabant, ut istud prædicatum, regii quoque legati ulurparent, literisque compositionis adjicerent, quam occasionem nactus Possevinus, multa il-

(103) Extat ejus *Relatio in Honerii Thefauro Politico pap. 284. seq.* | scriptores Polonicos THVANVS *Lib. 69. 72. seq.* GHYTRAEVS *lib. 24. seq.*  
 (104) Quod describunt post

ta illis exposuit de uno christianorum Imperatore, cumque inter alias rationes Russi urgerent, jamdudum a Caesare Romano id nominis Russorum Monarchæ esse tributum, Antonius demonstravit, si id factum fuerit, vocem Czar non Cæsarem aut Imperatorem, sed aliquid aliud a Tartaris usurpatum, quasi *Regium* titulum designare. Tandem post multas disceptationes Moschi permiserunt, ut literæ compositionis ex parte Polonorum, sine illis titulis conficerentur, ipsi tamen Russi, nomen Czar, quod Possévinus per Imperator reddit, in suo exemplari retinuerunt, atque sic tandem pax confecta fuit (105). Interea & cum Suecis de Livonia hæctenus belligeraverant Russi, cum quibus Fœdor Iwanowiz, æque ac pater cum Polonis, a. 1595. pacem inibat, quæ hæctenus bello annorum XXXVII. interrupta fuerat. Hujus pacificationis initio eandem contentionis de titulo ferram reciprocabant legati Russici, postulantes, ut Sueci axiomate *Imperatoris*, in literis pacificationis uterentur, quod cum hi protinus rejicerent, ita lis tandem illa com-

F. 2

posita

(104) Vide ipsum POSSEVINVM in *Moscovia* pag. 93. seqq. edit. Coln. de a. 1595. f. CHYTRAEVM in *Chron. Sax. Lib. XXX. pag. 703. seq.* LOCCENIVM in *Hist. Suec. Lib. VII. pag. 423. seq.* THVANVM *Lib. 76. TREVERVM Loc. cit. pag. 168.*

seq. & alii ibidem adlegati.

(105) Vid. LOCCENIVS *Loc. cit. pag. 449. seq.* CHYTRAEVS *Loc. cit. pag. 895. seq.* THVANVS *Lib. 114. MEIERBERG in Itiner. Moscov. pag. 501. TREVERVS Loc. cit. pag. 221. seq.*

posita fuit, ut loco vocis Imperator, vocabulum *Czar* substitueretur (106). Pace confecta, Moschus statim mittebat legationem ad Rudolphum Imp. de percutiendo armorum fœdere contra Turcas, atenim vero circa titulaturam, ut politici loquuntur, nihil memorabile accidisse legimus (106.) Fœdore sine liberis demortuo, magnam in Russia factam esse rerum conversionem supra pag. 33. diximus, adeoque internis illis turbis nihil contigisse constat, quod ad rem præsentem aliquo modo referri queat. Posteaquam vero *Michael Fœdorowicz* (107) legitime a. 1613. electus, omnes turbas feliciter sedasset, statim & exteris aulis per legatos suos significabat, se, sublatis regni competitoribus, nunc verum & legitime electum Russorum esse Monarcham. Inter has legationes una etiam fuit satis splendida, ad Matthiam Imp. Lincii tunc commorantem, quem Tzarus obnixè petebat, ut sua officia interponeret, ad procurandam Russis cum Polonis pacem, mittebat hoc sine Cæsar Erasmum Hædelium ad Regem Poloniæ, eo quidem successu, ut utriusque partis litigantis legati, VViasinæ pacis congressum instituerent, qui tamen sperato caruit eventu,

cum

(106) Vid. CHYTRÆVS *Loc. cit.* pag. 904. TREVERVS *Loc. cit.* pag. 222. seq.

(107) Metropolitæ cujusdam si-

lius, princeps prudens & paci studens, fundator domus hodie regnatricis, de quo *infra num. 23. seq.* plura dicentur.



cum enim Russi titulum *Tzari Magnique Ducis*, Michaeli Fœdorowizio attribuerent, Poloni vero eundem Vladislao Regis filio conferendum esse statuerent (108), nec in reliquis articulis proponendis convenire invicem possent, in summo abiit omnis de pace instituta consultatio (109). Anno 1615. rursus ad aulam Imperatoris veniebat legatus Russicus, cum vero is in publico colloquio admodum insolenter sese gereret, nec debitam Cæsari venerationem testaretur, per aliquot dies custodiae fuit traditus, ac tandem ex debito reprehensus, sine aliqua pompa ex aula Cæsaris discessit (110). Interea, durantibus turbis illis internis, novo bello cum Suecis implicatam fuisse Russiam, legimus, cui finem imponebat idem regnans Michael Fœdorowiz, anno quidem 1617. pace infecuta, cujus *Art. XIII.* conventum fuit, ut Suecorum Rex, ad Moschum scribens, pleno & alias consueto titulo, etiam adjiciat: *Domino & Victori multarum provinciarum* (III). Anno 1642. in aulam Danicam adveniebat legatus Russicus,

F 3

qui

(108.) Qui turbis illis internis ab aliqua Russorum parte, in Tzarum erat proclamatus, variis autem ob causas Russiam non adiit, aut saltem post festum, vid. KOBIERZICKO in *Hist. Vladisl.* passim. PIASLSIVS in *Chron. pag. 239. seq.* TREVERVS *Loc. cit. pag. 398.*

(109) Circumstantias huc pertinentes dabunt *citati.*

(110) Vid. PAREVM in *Medulla Hist. Prof. ad A. cit.*

(III) Vid. Pacificationis Instrumentum apud PETREVM *Chron. Moscovit. pag. 489.* & ex eo habet TREVERVS *Loc. cit. pag. 457. seq.*

qui notabili exemplo demonstratum dedit, quam accurate observatum velint Russi, quicquid ad venerationem titulo Dominorum suorum tribuendam, facere potest (\*). Pari ratione & A. 1650. Legati Russici in audientia apud Poloniae Regem, ob tituli controversiam, tam insolenter sese gesserunt, ut custodiam etiam fuerint traditi, qua de re videndus *Lunigius Loc. cit. pag. 637.* Atque ex illo tempore, nihil ad rem praesentem reperire est, usque ad a. 1654. quo tempore rerum summam apud Russos tenebat Michael Alexiewiz, is secunda in bello adversus Polonos fortuna usus, titulorum sylvati alias consueto, nunc & *illarum provinciarum nomina* adjecerat, quas devictis Polonis, vi armorum quidem occupaverat, licet adhuc per pacta cessae nondum erant, cum itaque Christina Suecorum Regina, ejusque successor Carolus Gustavus in literis ad Michaellem datis, titulum tenore haecenus consueto adornarent, per legatos suos graviter

(\*) *Damus ista, verbis Dn. LVNIGII in Theatro Ceremoniali T. I pag. 415. Der Gesandte, nachdem er angefangen zu reden, und auff seines Czars Titul kam, hielt inne, und bat, der König möchte doch aufsehen, und seinen Huth abnehmen, er wolte seines Herrn Titul bersagen. Der König verwunderte sich*

*hächlich über dieses selzame Begehren, wie aber der Gesandte vorwendete: es wäre so gebräuchlich, sein Herr der Czar hatte es auch so gemacht, wie der Denische Gesandte in der Moscau des Königs in Denemarck Titul erzeblete. Da that es de König &c.*

viter hac de re in aula Suedica conquerebatur, quasi de maxima injuria sibi illata, quid vero legatus Rufficus responſi acceperit, apud *Pufendorffium* (112). legimus. Filius & ſucceſſor Michaelis, Alexius Michailowiz, Romam a. 1673. mittebat oratorem, qui cum *Caeſaris* titulum pro Domino ſuo obtinere haud poſſet, aulam Pontificis indignabundus relinquebat (113). A. 1679. Leopoldus Imp. in Moſcoviam miſit legatum *Auguſtinum Lib. Baronem a Mayerberg*, qui in ſuo *Itinere Moſcico* (114), de voce & titulo Tzar equidem diſſeruit, ſed aliquam illi motam fuiſſe controverſiam circa titulum, non legimus. Prae omnibus tamen

(112) *In Vita Caroli Guſtavi Lib. I. §. 11.* ubi ſequentia extant: *Haut moris eſſe Chriſtianos inter Principes, titulum ſibi praſcribere provinciae per pacta nondum ceſſe.* Unde & *Suæcie Reges* titulo *Livoniae* tam diu poſſeſſe abſtinuiſſe, nec *Chriſtiana* provinciarum *Germanicarum* vocabula niſi poſt pacem adhibuiſſe. Sed nec *Czarem* id per literas a Rege petiſſe, hoc ſi fiat, *Regem* facturum, quod rationi & mutuae amicitiae conveniens ſit. Sicuti nec *Czar Chriſtinae* titulos provinciarum recens partarum prius tribuorit, quam ipſa per literas id requiſiverit. *Dn. LVNIG in Theatro Cerem. pag. (150)* de hac controverſia loquens, apte

fatis & eleganter de ſuo addit: *Man entſchuldigte es nicht, wie ſonſt die gemeine Ausflucht iſt, mit dem unachtſamen Verſehen der Canzeliſten, oder Secretarii, oder mit einem alten Titulatur-Buch, ſondern man ließ den Czaariſchen Staats-Miniſtern mit guter Manier inſinuiſiren: Haut moris &c.*

(113) Vid. *PFEFFINGERI Viſitarium illuſtratum T. I. pag. 420.* & ibi citatos.

(114) Prodiit latine 1679. fol. cui acceſſere ſtatuta *Moſchica*, nunquam antea impreſſa, traductus quoque fuit in gallicam linguam, prodiitque *Lugd. B. 1688. 12.*

tamen reliquis Russorum Monarchis, rem titularem urfit, modernus, potentissimus, magnaque cum auctoritate regnans *Petrus Alexievicz*, qui suo & fratris nomine Iwani Alexiewiz (115), a. 1686. splendidam legationem ad Imperatorem Leopoldum mittebat, hac quidem, inter alias, de causa, ut curiale *Majestatis*, Cæsar in literis ad Tzaros Russiæ tunc imperantes, adjiceret, cum vero etiam in literis credentialibus ad Leopoldum Cæsarem, latine scriptis, vox Tzar, per *Imperator* esset translata, ad illud prolixè respondit, istud vero gravissime tulit Cæsar, ut videre est in recredentialibus Cæsaris ad Czaros, legatis sub abitum illorum ut moris est aulici, Cæsaris nomine exhibitis. (116) Atque ab eo tempore nihil admōdum circa titulum Monarchæ Russorum actum aut motum fuisse legimus usque ad annum 1718. quo in archivo, quod in urbe Moscua asservatur, inventum fuit originale epistolæ cujusdam, a Maximiliano I. Imp. ad Basilium Iwanowizium a. 1514. germanico idio-

(115) Post patris enim mortem cum de successore constituendo multum disputaretur, tandem lis ita composita fuit, ut ambo fratres regnarent, quod & factum usque ad a. 1688. ex quo tempore Petrus, solus rerum summam tenuit, in hunc usque diem, vid. SCHLEVSINGU

*Anatomia Russiæ deformata*, 1688. 12.

(116) Vide *Recredentialiales* illas apud PEEFFINGERVM in *Vitriavio illustrato* T. I. pag. 420. qui primus illas publicavit, conf. & MERCURE *Historique* Tom. 45. m. Sept. p. 316. m. Dec. p. 652. seq.

idiomate, exaratae exemplar (117), in qua Cæsar Ba-  
 filio prædicatum curiale *Kayser von allen Reussen*, plus  
 vice simplici attribuit contulitque, quam epistolam  
 in varias linguas translata, modernus Russorum  
 Princeps Petersburgi typis expressam, d. 10. Maj. 1718.  
 publicari jussit (118), suisque legatis in exteris aulis  
 commorantibus, cum mandato transmitti curavit, ut  
 ubique locorum rem novam & ex usu suo admodum  
 futuram, propalarent debite. Non commemoro hic  
 A. A. quantos motus & discursus passim excitavit res  
 hæc novitatis plenissima, quippe quod neminem fu-  
 gere putem, nisi qui rerum in orbe noviter gestarum  
 plane sit expers, illud itaque tantum dico, Principem  
 Russorum potentissimum, ex illo tempore acriter præ-  
 tendisse, ut axioma illud, olim majoribus suis colla-  
 tum, orbis hodie regnantis proceres, solenni ratione, sibi

G

quo-

(117) Longius est, quam hic lo-  
 cum habere queat, qui desiderio te-  
 netur illud legere, evolvat viri  
 doctissimi Dn. IO. IAC. MULLERI  
*Electa Juris P. T. XX. pag. 904. seq.*  
 EVROPAEISCHE FAMA T. 214 pag.  
 879. WEBERI *Verenderies Rusland*  
*pag. 356. seq.* qui dicit, se exem-  
 plar quod adducit, ex originali de-  
 scripsisse, si hoc verum, utique di-  
 cendum est, aut minus accurate eum  
 originale illud inspexisse, aut reli-

quos, quos adducimus errasse, differt  
 enim] Weberi exemplar a reliquis in  
 quibusdam, v. g. datum, ut vocant, a-  
 pud Weberum sonat: *geben in unser*  
*Stadt Gemünde &c.* apud reliquos:  
*geben in unnsfer Statt Brumndenau*  
 &c. reliqua, data opera sicco præ-  
 terimus pede.

(118) Vid. WEBERVS *Loc. cit.*  
 EVROPAEISCHE FAMA *Loc. cit.* MVL-  
 LERVS *Loc. cit.*

quoque conferant, stiloque curiali impoſterum tribuant (119). Cum vero Cæſaream imprimis aulam, graviter iſtud poſtulatam accipere, imo & reliquis Europæ proceribus aquam in hoc negotio hæſere perciperent Moſchi, ſuarum eſſe partium rati, varias in medium attulerunt rationes, quibus prætenſionem illam tituli Imperatorii fulcire conantur, quaſ nunc pace veſtra vel ſtrictim ſaltem ediſſeram.

Primam rationem prætenſionis huius, in ſignificatione vocis *Tzar* repositam eſſe volunt, quæ idem ſignet ac nomen Cæſar, unde & exteri plerique, ruſſicam illam vocem per *Imperator* tranſtulerint (120). II. quod non ſolum *legati* exterorum Principum, imo ipſorum quoque Imperatorum, prædicatum *Cæſaris*, aliquando & *Imperatoris*, in audientia apud Ruſſorum Monarchas, jam olim noſtraque ætate adhibuerint (121),  
verum

(119) Teſtamur hic publicam famam & relationes publicas, quæ illis ignotæ haud ſunt, qui rerum in orbe noviter geſtarum tenentur deſiderio, cotidieque legunt.

(120) Vide dicta ad pag. 27. ſeq.

(121) Exempli gratia adducunt Ruſſi *Pernſteinium* Rudolphi II. Imp. legatum, qui 1579. Moſchum in audientia ſequenti ratione allocutus eſt: *Magne Princeps, Cæſar Princeps & Domine*, vid. no-

*NORII Theſaurum Pol.* pag. 287. ubi *Pernſteinius* & illud addit: *hunc e titulum attribuere conſueverunt.* A. 1663. Comes *Carlisle* orator Regis Magnæ Britanniæ, Alexium ita alloquebatur: *Tres haut, tres-puiſſant, & tres-illuſtre Prince, Grand Seigneur, Empeur, & Grand Duc &c. & in contextu: Votre Majeſté Imperiale.* Vid. *La Relation de trois Ambaſſades* pag. 151. ſeqq. A. 1710. Anna Regina le-

verum etiam in *litteris* ad eos subinde exaratis, eadem prædicata exteri Proceres contulerint (122), adeoque, ut Petro idem curiale hodie tribuatur, & justiciam &

G 2

æqui-

gatus *Whicworthius* hac formula utebatur: Tres-haut & tres-puisant *Empercur* &c. & in contextu: Votre Majeste *Imperiale*, vid. *Mercurie Historique* a. 1710. pag. 375. *Lettres Historiques Avril.* 1710. pag. 381.

(122) Maximilianum I. Imp. Wasilium prædicatum *Imperatoris* contulisse, dictum pag. 48. seq. equidem nec illud negari potest, esse, qui fidem illius Diplomatis ex variis apparentibus rationibus in dubium vocent; non est mei instituti, in arenam descendere, illiusque Diplomatis *diversitatem* demonstrare, igitur illud saltem adducam, quid Russi in hoc negotio disputent. Primo dicunt, indubium esse, circa a. 1514. fuisse similitates inter Maximilianum Imp. & Sigismundum Regem Poloniarum, quam ob rem Cæsar fœdere sibi conjunctum volebat Wasilium contra Polonum, testante DECIO num. (98) citato pag. 312. HERBERSTEINIO pag. 17. porro & illud certum esse ajunt, ipsi *Herbersteinio* Maximiliani legato, & in aula Polonica versanti 1515. seq. principes ibi viros in faciem

exprobrasse, quod Moschoviæ Princeps proferre soleat literas Imperat. Maximiliani, in quibus nomen *regium* tributum sit Wasilio, ut ipse *Herbersteinius* refert *loc. cit.* unde prono nisi consequatur, Diploma illud nudius tertius vix confictum esse. Quod si vero dicamus, ipsius *Herbersteinii* testimonium, quod Maximilianus Moscho *regium nomen nunquam tribuerit*, omnem Diplomatis fidem destruere, Russi respondent, exinde nihil solidi posse confici, *Herbersteinium* enim nihil aliud refutasse, quam quod Poloni objiciebant, hi vero exprobrabant, Maximilianum tribuisse Wasilio *titulum regium*, & quidem *in Polonie Regis injuriam*, ad quæ *Herbersteinius* optimo jure respondere poterat, *id verum non esse*, Cæsar enim in Diplomate illo, non Regem sed *Kayser Wasilium* vocaverat, & id quidem non *in injuriam Poloni*, cui ex collatione illius prædicati nihil decedere poterat, sed ex ratione forte status, ut Wasilium eo facilius ad incundum fœdus induceret, quippe qui noverat, Moscorum Principes ad-

æquitatem postulare, ne forte minoris apud externos videatur exilimationis esse, quam prædecesores sui, quos tamen & rerum gestarum magnitudine, & finium imperii sui prolatione, longis post se relinquat intervallis. III. Rationem ex *Genealogia* desumunt Russi, quæ ostendit docetque, Russorum Monarchas ortum suum & sanguinem, linea videlicet materna, ex *Byzantinis Imperatoribus* ducere (123). Et quamvis ad ma-

paratu titulorum admodum sibi placere. Imo & de more legatorum nos in hoc negotio cogitare volunt Russi, vigore cujus illi ex ratione status, sæpe aliter loquuntur aliter sentiunt. Tandem & illud addunt, videlicet, verisimile non esse, seculi XVI. initio, eam Russorum fuisse solertiam & astutiam, ut Diploma tale, germanico quidem idiomate consignatum, turpi dolo fingere, formamque æri incisam, & insignia Cæsaris in bulla dependente representantem, effingere potuerint, & quæ sunt alia, quæ singula ego aliis discutienda relinquo. Reges, qui axioma Imperatorium Mosco dicuntur contulisse, sunt Ludovicus XIII. Rex Gall. in transactione cum Michaele 1629. conclusa, in qua occurrit vox *Empereur*, & *sa Majesté impériale*, Vid. *Recueil des Traittes de*

*paix T. 3. pag. 286.* Ludovicus XIV, a. 1654. ad Russorum Monarcham scribit: *Au tres-haut Prince &c. Empereur de Russie, v. Electa J. P. T. XII. pag. 903.* Sultanus Turcarum ad Petrum scripsit: *Czaro Moschoviæ, Imperatori totius Russiæ, vid. LVNIG in Theatro Cerem. pag. (62), & in Literis Procerum P. III. p. 1038.* Annam Magnæ Britannicæ Regiam, a. 1709. solenni formula prædicatum imperatoris Russorum. Magno Duci contulisse, legitimus in literis ad illum datis, in *Mercurie Historique Loc. cit. p. 378. conf. Das Politische Bedencken pag. 20. seq.*

(123) Nexum Genealogicum duplicem hoc instituto faciunt Russi, primum a Vlodymiro primo Russorum Duce christiano, qui in matrimonium duxit *Annam, Romanæ Imp. Græcorum filiam*, quorum posteritas mascula duravit usque



ad majestatem originis parum respexerint Petri majores, adeoque & neglexerint peculiari axiomate (si aquilam bicipitem (124) in insignibus excipias) originem suam ex imperatorum Græcorum stirpe indigitare, exinde tamen nihil in præjudicium moderni Principis induci posse dicunt, adscribendam enim illam negligentiam esse simplicitati superiorum temporum, nunc vero, ubi depulsa illius ætatis barbarie, alia prorsus rerum sit in orbe russico facies, utique æquum justumque esse, ut Russicorum regnorum summus hodie Monarcha, inter alia & ob splendorem stirpis, peculiari aliquo criterio & axiomate dignoscatur, quippe imperatorio sanguine oriundus (125). IV. Et usum *aquilæ bicipitis* in insignibus Russorum Prin-

G 3

cipis

ad Iwanum Wasilwiz, qui secundis nuptiis duxit *Zoën s. Sophiam*, filiam *Thomæ* Ducis Peloponnesi, (qui filius erat *Emanuelis Imp*) imperii *Cpolitani* hæredem, vid. *RAYNOLD. Annal. Eccl. T. XIX. ad a. 1470. n. 9.* *AENEAS SYLVIVS in Cosmogr. pag. 253.* ex quo tempore & Iwanus duplicem aquilam in insignibus suis, ex eadem ratione adjecit, ut *pag. 55.* docebimus.

(124) Vide quæ hanc in rem dicuntur infra *num. (127) seq.*

(125) Constat equidem, veterem illam lineam, eamque masculam, ex stirpe *Vlodomiri*, extinctam esse

in *Fœdore Iwanowiz a. 1598.* non vero lineam *femininam*, *Fœdor* enim *NIKITIZ* ex familia *Romanow* oriundus, *Patriarcha* totius *Russiæ*, uxorem habuit *Mariam*, filiam *Iwani Wasilwiz II.* ex qua natus est *Michael Federowiz, a. 1613.* *Russorum Tzarus* factus, stator domus hodie regnatricis. Pleni hic sunt defectibus vulgares libri *Genealogici*, quare, qui illos sequi velit, utique cum *ANONYMO Des Politischen Bedenckens pag. 64. seq.* dicet, modernam domum cum veteri illa, nullam habere connexionem, sed veriora nos docet *OLEA*

cipis conspicuæ, unam hujus prætensionis rationem sup-  
 peditare posse putant Russi, de quo novo argumento,  
 ut vel pauca afferam, pace Vestra A. A. licebit. Equi-  
 dem, a primis Russorum Ducibus ut exordiar, vix ope-  
 ræ pretium erit, nec, si foret, in tanta obscuritate  
 quicquam certi hanc in rem dicere possem (126), ex  
 quo igitur certior apud exteros gentis hujus fama, Ma-  
 gnos illius gentis Duces, insignium loco adhibuisse legi-  
 mus figuram *equitis S. Georgii* (127), usque ad Iva-  
 num

RIVS in *Itinerario Moscovit. Pers.*  
 pag. 234. ubi & pag. 252. de uxore  
 Michaelis Fœderowiz loquens scri-  
 bit, fuisse eam *Der gewesenen Groß-  
 Fürsten Verwandte*; imo patefit  
 id ipsum quoque ex consueta for-  
 mula titulo adjici solita: multa-  
 rum provinciarum *antiquus heres*,  
 id quod OLEARIVS pag. 248. red-  
 dit: *von vielen Ahnen her Erbe*. Plu-  
 ra non addo, cum nexum illum  
 genealogicum, ex instituto variis-  
 que testimoniis corroboratum de-  
 derit Dn. I. G. ECKHARDVS in *der  
 Abstammung des Groß-Czarischen  
 Cron-Prinzen Alexii, von dem Grie-  
 chischen Kayser Constantino Porphy-  
 rogenito*, Helmst. 1711. 4.

(126) Ea enim illis temporibus  
 obscura erat rerum in orbe russo  
 facies, ut de usu insignium ne qui-  
 dem vel cogitare nobis liceat. Di-

gmata quidem bellica in armis il-  
 lorum in usu forte fuisse, nullum est  
 dubium, exemplo aliarum gen-  
 tium, sed illa, signa tantum suc-  
 runt, non insignia, conf. HOEPIN-  
 CIVS in laborioso opere *de Jure  
 Insignium*.

(127) Non attinet heic Legen-  
 darios excutere, & in iis PETRVM  
 de NATALIBVS in *Catalogo SS.* ubi  
 proluxa sane narratio de *S. Geor-  
 gio*, licet fabulosa, qualem reputa-  
 vit ipse Paulus III. Pontifex, adeoque  
 hoc nomine, in *Breviario Romano*  
 expunxit, Videlicet, S. Georgius  
 Cappadocia dicitur oriundus, mi-  
 litum tribunus 2vo Diocletiani  
 Imp. religione christianus, adeo-  
 que a Datiano Præfide in urbe Mi-  
 letana e medio sublatum, postquam  
 is juxta civitatem Lyfiam, ingen-  
 tem draconem (germanis *Lind-*

num VVasilwiz I. Quam primum enim is in uxorem duceret *Zoën s. Sophiam*, hæredem imperii Constantinopolitani (128), statim & eam ob rem, *aquilam bicipitem* (129) adjecit, ita tamen, ut equitis S. Georgii figuram retineret, eamque in peculiari scutulo pectori aquilæ adjiceret (130), cujus vestigia secuti sunt omnes, usque ad hodie regnantem Pecrum, successores, qui vero, crescente, & in hac gente cum tempore luxu, nova pedetentim additamenta & ornamen-

*wurm*) lancea vulneratum occidisset, qui ex stagno saepe egressus urbem halitu suo afflaverat, unde pestis hominum, ac pecudum strages consequebantur. Quæ aliorum de S. Georgio mens sit, & quæ alia plura de hoc martyre dicuntur, legi possunt apud SELDENUM de *Titulis Honor. Cap. V. S. 42. seqq.* SANDIVM in *Hist. Eccl. pag. 220. seq.* conf. COCCEI *Jus P. pag. 248.* & ibi citatos. Quicquid hujus sit, illud indubium, Russorum Principes figuram S. Georgii equitis draconem ferientis, loco insignium adhibuisse, ceu ex monetis & nummis ad usum communem signatis, clarum est. Plura dicuntur in contextu.

(128) Diximus hanc in rem supra pag. 52. num. (123)

(129) Non immiscemus hæc nos

sterili illi controversiæ, an aquila sit duplex, vel bicorporea, vel fistula, vel saltim biceps, vide post Juris P. doctores & Heraldicos, data opera & ex instituto agentem WAGENSEILIVM in *Diff. de Titul. & Insignibus Imper.* sufficit dixisse, Ivanum Wasilwiz I. aquilam bicipitem, primum loco insignium sibi usurpasse, ut ex sequentibus patet.

(130) Ita testatur HERBERSTEIN *Loc. cit. pag. 99.* TREVERVS *Loc. cit. pag. 6. 57. f.* unde & illud discimus, errare illos, qui primum aquilæ in insignibus usum, Ivano Wasilwiz II. adscribunt, ut BUCHAV *Loc. cit. pag. 213.* OLEARIVS in *Itin. Mosc. pag. 220.* HENNINIVS in *Notis ad Itiner. Moscov. von Brands,* & majori errore AVCTOR *des Polit. Bedencken pag. 58.* Basilio attribuit,

namenta adjecerunt, ceu ex insignium illorum figuris æri incisissimè reperiendis, clarum & perspectum est. Sed ut paulo plenius hanc in rem dicamus, & sigillatim quidem de figura S. Georgii, extra omne dubium positum est, Russorum Duces illa, tanquam insignium nota usos esse (131), etiamsi parum certi queat dici tam de tempore, quam etiam de causa introducti usus; si conjecturæ locus, factum esse inde dixerim, quod in ecclesia græca, cujus fidei Russos addictos esse constat (132), magna S. Georgii esset veneratio, templa ei erecta, imo miracula quoque, ab ejus figura & effigie, edita dicantur (133), & mireris, cur scriptores rerum Moscoviticarum nihil aut parum hanc in rem observaverint, & si quædam ad rem præsentem facientia occurrant, tenuia admodum sunt, insuper inter se discrepantia (134). Interim quicquid hujus sit, illud indu-

(131) Constat id ipsum ex nummis in usum communem cufis, ut diximus num. (127).

(132) Vide post alios, qui in Descriptionibus status Moscovitici, & religionis negotium attingunt, & in *collectione Bongarsiana*, & in *Boxbornii Republ. Moscovia* extant, quive de Religione & Ecclesia Græca ex instituto egerunt, M. LVDER-  
TI KRAMERI *Riga Livoni Moscovitischen Irrglauben* Gissæ 1662. 12.

(133) Qualia legimus apud NI-

CEPHOR. GREGORAM in *Histor. Byzant. Lib. VIII.* & omnes Legendarios.

(134) In genere hic monemus, de S. Georgii figura, tanquam peculiari Principum Russicorum insigni, nullam fere mentionem fieri apud Scriptores rerum Moscoviticarum nisi quando de pecuniæ forma disserunt. GVAGNINVS in *Descriptione Moscovia pag. 155.* in *Collectione Bongarsii*, adjecit quidem formam armorum Moscoviticæ, equitem pu-

indubium, effigiem S. Georgii, Rufforum Principibus insignium instar fuisse, usque dum aquila biceps ab Ivano VVasilwiz I. introduceretur, non tamen ornata ea habitudine, qua sese hodie conspiciendam nobis praebet, successive enim modernam formam induisse, typi passim reperiundi rem aperte loquuntur (135). V. Argumentum Russi *ex classe fundamentorum* desumunt, quibus praecedentiae & praeminentiae gradus, inter mundi proceres constituere hodie solent

H civilis

ta S. Georgii cataphractum, lancea draconem vulnerantem, sed in contextu nihil habet, nisi quod de nummis rufficis dicat, in una illorum parte *hominis nudi equo insidentis, & draconem hasta ferientis imaginem* habere &c. De eadem re ODERBORNIVS in *Narratione de Rufforum religione, ritibus &c.* (quae extat in *Boxbornii Resp. Mosc.*) pag. 150. scribit: in uno latere, *cataphracto* signantur, plura non dicit. In collectione *Bongarsiana* statim ab initio, cernimus effigiem Magni Ducis sedentis, ad cuius latus, infra videmus in scuto figuram *nudi hominis equo insidentis, & cum hasta draconem ferientis*, quam figuram ad medium Sec. XVI. respicere puto, quia adjectum illic video numerum 1551. plura hanc in rem, diligentia mea indagare non potuit.

(135) Primum aquilæ bicipitis typum apud OLEARIVM *Loc. cit. pag. 141. 144. 220.* invenio, nativo quidem colore pictum, alis elevatis, non tamen sursum expansis sed demissis, nec cauda artificiose explicata, rostris apertis cum exerta utrinque lingua, capita teguntur corona aperta; in prima icone inter duo capita exurgit figura crucis archiepiscopalis, in secunda vero, quæ Moscuae urbis ichnographiae adjecta est, nihil inter duo capita locatum, in tertia autem, loco crucis, corona cavitatem illam implet. Quæ AUCTOR libelli: *L' état de la cour des Roys de l' Europe*, hanc in rem habeat, recensent Lipsienses in *Actis Erud. 1708. pag. 219. seq.* IGNAT. CHRISTOPH de GVARIANT *Diario Itineris in Moscov. 1698. f.* impresso, nec tincturas, nec figurarum

civilis prudentiæ doctores (136), quorum nonnulli (137) primum Tzaro post Imperatorem Rom. assignant locum, alii ejusmodi præminentiae & dignitatis rationes adducunt, ut, si eas conferas cum Russicorum Monarcha moderno, ultro patescit, Petrum his partibus non facile cuiquam cedere, adeoque consequenter & dignum omnino esse, ut etiam peculiari, & præ-

emi-

explicationem adjecit. BVSSINGIVS in *Conspetu Heraldica*, & in *der Heroldskunst*, ut & in *der Durchlauchrigen Welt*, aquilam auream describit, in scuto coccineo, supra capita, & loco intermedio, tres coronæ clausæ imminet, alas pingit expanfas, caudam vero complicatam, corpus circumductum est scuto rubeo cum effigie S. Georgii, dextro pede sceptrum, sinistro globum imperialem tenet aquila. Sed omnes hos, minus accurate rem confecisse docet nos AVCTOR de *Insignibus Moscoviticis* qui talem aquilam dedit descriptionem & ecygram, qualem e cancellaria aulæ russicæ impetravit, quæ singula recensent *Lipsiensis in Actis Erud. Loc. cit.* qua forma & Dn. TRIER in *der Wapen-Kunst* expressit.

(136) Speciatim qui argumentum juris *περοδῆγας* in examen vocarunt, quales sunt CRVSIVS, STOSCH, ZWANZIG, STIEVE, LY-

NIG, alique bene multi, hi enim talia præminentiae fundamenta ponunt, quæ si non omnia, pleraque tamen ad Monarcham suum optime quadrare putant Russi, speciatim splendorem & antiquitatem generis, summam & monarchicam auctoritatem, magnitudinem regnorum & provinciarum, antiquitatem suscepti christianismi, virium & divitiarum, ac tandem rerum gestarum magnitudinem &c.

(137) Intellige BALTHAS. SIGISMUND. a STOSCH von dem *Præcedenz Recht* cujus verba pag. 127. ita sonant: *Nach dem Römischen Keyser folget billig der Moscovitische Keyser, denn weil er ein rechtes imperium despoticum über seine Unterthanen hat, auch wegen Vielheit der Länder und großem Reichthum, die andern Europäische Fürsten fast übertrifft, wird ihm billig diese große præcedenz zugeeignet. Kommet dazu, daß er seinen Ursprung von dem*

eminentiis suis convenienti axiomate, dignoscatur & denominetur, hoc autem aliud esse non posse, quam Imperatorium. VI. Et ultimam prætensionis Russicæ rationem, in *justitia causse & prætensionis hujus reponunt*, quia Petrus nihil detractum vult dignitati & præcedentiæ Romani Imperatoris, quin imo, jus *πρωτοδicias*, aliaque jura & prærogativas illi ultro cedit, eaque omnia facta tectaque esse vult, modo ipse pro *Imperatore totius Russiæ* agnoscatur & deputetur (138). Atque ita se habet tenor rationum & argumentorum, quibus prætensionem tituli imperatorii fulcire conantur Russi eorumque sequaces, verum enim vero cum singula illa, tam speciosa & firma vix sint, quin ad ea omnia responderi mustumque in contrarium adduci soleat, operæ nunc pretium esset, ut quicquid ad rationes illas partim in aulis procerum, & sigillatim Cæsarea, partim etiam in scriptis circa hanc materiam publicatis, regeri queat, in medium nunc adducerem, at enim vero, ne patientia Vestra A. A. abuter, imo etiam ea proponam, quæ alii (139) jam ex instituto

H 2

edis-

*Römischen Keyser, nicht ohne Grund herziehet &c. Seine Einkommen sind anschazbahr &c. prodiit ejus liber Jena 1678. 8. & dedicatus est Leopoldo Imperatori, proinde auctoris audacem calamum satis mirari haud possum, hodie vix ejusmodi*

scriptum approbaret curia imperialis, conf. ZWANZIG in *Theatro Præced. cap. 19. STIEVE im Hof Ceremoniel pag. 130.*

(138) Vid. ANONYMVS in *Politischen Bedencken pag. 24. seq.*

(139) Intelligo heic duo scripta

edisseruerunt, missa ea faciam, quin potius ultimum quod restat dicendorum momentum, breviter exponam, *judicium videlicet nonnullorum doctorum de hac controversia.*

Duo autem heic in examen vocari solent ac debent: I. An Tzarus subditis suis mandare queat, ut titulum Imperatoris in usu communi adhibeant? de quo nemo est qui dubitet (140), cardo igitur in II. quaestione versatur, *an predicatum Imperatoris, quod unice Romanorum Casari relictum esse volunt, sit communicabile, adeoque Russorum Magno Duci possit concedi, salva majestate & praesinentia Romanorum Imperatori debita?* ad quod quaesitum varii varie respondent. Qui fundamenta illa superius in medium prolata, in considerationem vocant, quibus jus *negotiosae* politici ponderare solent, eaque in hoc negotio ad Moscum applicant, ridet hanc controversiam, & frustra

*εὐνοίας* publicata nuper, quorum unum in fronte gerit titulum: *Politisches Bedencken über die Frage: Ob der Kayserliche Titul, obntschadet Kayf. Majest. allerbachster Würde, dem Czaaren von Rußland communiciret werden könne, von F. L. N. D. D. B. 1722. 4. alterius titulus est: Grundmäßige Untersuchung von dem Kayserlichen Titul und Würde, 1723. 4. non ducimus*

pretium esse operæ, conjecturas de auctoribus adjicere, illud saltem miramur, cur nomina sua recitare voluerint, in materia nec periculosa, nec partibus curiæ Imperatoris adversum elaborata.

(140) Conf. hic Dn. BÖHMERT *Jus Publ. Universale pag. 261 seq.* ubi plura, & sane egregia huc spectantia legimus.



stra de titulis Principis nos sollicitos esse putant, cujus monarchicam potentiam, & majestatem vere imperatoriam regiamque, nemo in dubium vocare aufit (141). Doctissimus SELDENVS (142) putat, Imperatoris nomen in aliorum Principum titulis, injuriam Germanorum Imperatori, qui vulgo sic adpellatur tanquam nomine suo proprio, plane non facere posse, ridetque nonnullos juris civilis peritos, qui ex illa ratione illud negent, quod Imperator hodiernum sit Dominus orbis totius, adeoque infra (143) addit: Imperator Russiæ, sic appellatur & vere est, licet nonnunquam *Magnus* tantummodo *Dux* appelleretur &c. GERHARD. FELTMANNVS Jctus Batavus celeberrimus (144) cum distinctione loquitur, dicitque, licet forte Moschus dici possit Imperator, non tamen Cæsaris titulum ac nomen sibi vindicare posse. Alii vero, & quidem ANONYMI duo (145), qui ex instituto hanc materiam in quæstionem vocarunt, negant atque pernegant, axioma Imperatorium esse communicabile, sal-

H 3

va Ma-

(141) Vide omnino PFEFFINGERI *Vitriarium illustratum* T. 1. pag. 391.

(142) In insigni, sed in latinum haud satis accurate converso libro *de Titulis Honorum* P. I. pag. 38.

(143) *Loc. cit.* pag. 195. ubi & pag. 197. de legato, nomine Elisa-

bethæ ad Moscum misso, ait, oratorem illum, Fedorem Iwanowizium salutasse: *Imperatorem totius Russiæ.*

(144) In tractatu de *Titulis Honorum* pag. 130.

(145) Quorum libellos jam nominavimus supra num. (139).

va Majestate & præminetia Romanorum Imperatoris (146). Dn. a LVDWIG (147), de Moscovitis latine loquentibus differens ait, illos *Cæsareæ* Majestatis elogio signare Principem suum, quorum consuetudinem & alios omnes maximæ diiignitatis viros imiratos fuisse, in Belgio observavi, ita ut neque ego dubitarem, meam quoque orationem verbo huic conformare. Doctissimus Dn. BÖHMERS (148) ita de controversia circa titulum Imperatoris fatur: Pertinent Tituli ad jura libertatis, idem judicandum de titulo Imperatoris, qui hæctenus quidem solum regibus Germaniæ tributus est, ex consensu gentium seu imperantium, sed inde majus imperium non accepit, multo minus in reliquos imperantes &c. adeoque imperator regibus quibusdam olim vitio vertere, vel propterea iis questionem movere non potuit, quod titulo *Imperatoris* uti voluerint. Interim, & si regibus exteris, a quibusdam titulus *Imperatoris* datus fuisset, ne sic quidem potuisset Imperator Romanus de præjudicio sibi factò conquiri &c. Neque enim credendum est, com.

(146) Dubito tamen, an illorum rationes tanti roboris sint, ut Russi, alique, qui pro affirmativa pugnant, ad deferendam suam opinionem, induci illis argumentis queant.

(147) *Opusculorum Miscellorum*  
T. I. pag. 91. seq. conf. & Tom. II.  
pag. 755.

(148) *Loc. cit. pag. 261. seqq. not.*  
s. & s.

communem omnium consensum hic esse necessarium, cum in ejusmodi ceremoniis, singulis sua libertas sit relicta (149).

Atque sic satis dictum esse puto, de *Titulo Imperatoris, quem sibi dari praetendit Rufforum Monarcha* potentissimus (150). Restat nunc, ut, quod caput est meae orationis, devoti gratique pectoris pignora, publice hic persolvam. Ad TE vero DEVS OPTIME MAXIME primum mea se vertit pietas, qui longinquis ab hinc locorum intervallis, honestis parentibus, & vera religione, nec admodum tenui fortuna natum (151) educatumque voluisti, Tua factum est paterna & omnipotenti providentia, ut bonis artibus a teneris nutritus, in exteris oras & speciatim in hoc Musarum emporium toto orbe celebratissimum, studiorum caussa

(149) Sed cum res haec ad *mutua gentium* commercia dilabitur, non possunt eundem *ex debito* ab aliis exigere titulum, quin quod praxis ostendat, magis *per preces* a singulis gentibus obtineri, ut in posterum pro talibus inter gentes habeantur, ubi *mutua commercia* cum aliis subire volunt, *Idem loc. cit. not. s.*

(150) Nec enim plura dici vel potuerunt vel debuerunt, quam *limites orationis* permiserunt; *factor* interim nobilissimum istud ar-

gumentum, ita comparatum esse, ut amplio-rem mereatur *expositionem*, quae a me vel ex illo capite haud potuit expectari, quod extra cancellos instituti mei, evagari minus licuerit.

(151) A. 1679. patre *Michael Schmeizel*, Pastoris munere ad templum S. Johannis functo, morte praefestina mihi erepto; *Coronae Transilvanorum*, quae urbs & adificiis, & scholis, & templis, & commercii celebris est, Saxonibusque Lutheranis inhabitatur.

caussa excurrere quiverim (152), Tu me deinceps absolutis studiorum curriculo, per mare & terras, per tot discrimina rerum tendentem, saluum semper & sospitem conservasti, protexisti, labores ac studia mea eo evexisti, ut aliis etiam pro virili prodesse, veritatemque proponere (153), & quod maximum, Tua O DEVS, omnipotenti manu factum, ut & fructus laborum pro Tua in me benignitate capere potuerim, imo, Tuo quoque sanctissimo nutu evenit, quod vix unquam sperare ausus fueram, ut Serenissimorum hujus academix Nutritorum opera & auctoritate interveniente, in Patrum celeberrimi hujus lycei numerum adscriptus fuerim (154), pro quibus omnibus abundanter in me collatis beneficiis, gratias aeternas ago habeoque maximas, Te persancte orans, ut in veritate Tua me porro conserves, conatus meos in Tui honorem proximique emolumentum suscipiendos adjuves, & omnes progressus fortunes.

Post Deum, ad illos, qui DEI T. O. M. in his ter-  
ris

(152) Factum hoc a. 1700, cujus d. 8. Jan. albo studiosorum inscriptus fui, Rectore tunc B. Valent. Velthemio S. Th. D. & P. P.

(153) Et id quidem ab a. 1712, quo lauream philosophicam, benigna Patrum Ordinis Philosophici

concessione, adeptus sum. Quamprivata informatione antea, Nobilibus & Illustribus quibusdam personis praestiterim operam, intra & extra Germaniam, nil attinet commemorasse,

(154) Repete dicta ad pag. 8. num. (9).

ris vices gerunt, gratissimus se converit animi meus, ad SERENISSIMOS videlicet PRINCIPES, Salana nostrae Nutritios (155) indulgentissimos, Dominos meos clementissimos, quorum sapienti curae & voluntati unice (156) adscriptum & acceptum volo, quicquid mecum jam factum omnes cognoscitis. Cum igitur me alienigenam duplici gratia (157) clementissime dignari voluerint, duplici quoque, sed & eo graviore obstringor humilimas agendi gratias vinculo. Quapropter vota devotissima, quod quotidie facitare soleo, publice nunc suscipio, pro salute Eorum, & perenni Serenissimae Domus Saxonicae incolumitate, DEVM O. M. omnis dignitatis & celsitudinis auctorem & principem pie venerans, ut, qui Serenissimam & vetustissimam arborem Saxonicae, tot frondibus, floribus & fructibus a plurimis seculis ornatissimam conservavit, porro virentem & ad seculi usque finem vigentem tueri, novisque subinde ramis gratiose velit

I

auge-

(155) Praeter alia enim hoc divinum plane, & gentile etiam bonum Serenissimorum Horum Principum est, quod de fixa statutaque sententia, verae religionis diligentissime colendae, adeo non deduci se patiantur unquam, ut potius ejus conservandae causa hanc Musarum sedem nutriant, conservent, nullisque sumptibus parcant. Quam

felicitem utinam omnes, quibus ea frui licet, ex debito cogitarent, illi praesertim, qui studiorum suorum fructus capere jam possunt.

(156) Repete haec omnino quae dixi pag. 7. num. (8).

(157) Depradicavi eam, nec tamen satis pag. 7. num. (9). & commemorabo quam diu spiritus hos meos reget artus.

augere, quo amplissima ditiones, Ecclesia Divino Numini in veritate serviens, & imprimis hoc mularum domicilium, juxta leges & publici boniregulam sapienter administratum, sub diis his tutelaribus floreat, vitam tranquillam agant, & augmenta prospera cupiant. De cetero sancte ego spondeo, omnes fortunas meas, omnesque ingenii & corporis vires, imo ipsam vitam, in servitium & obsequium Dominorum meorum clementissimorum, nunquam recufaturum esse, ut intelligant, nihil mihi magis curae cordique esse, quam ut expectationi de mea tenuitate conceptae fiat satis.

Posteritati quoque, dum vivo, commemorabo beneficium, quod a PVRPVRATIS (158), quos Summi isti

(158) Quorum nomina, munere gloria & meritorum illustria & celebratissima, honoris & observantiae testandae causa, posteritati breviter haec, adeoque salvis honorum titulis plenissimis, adscribo, & quidem in aula Serenissimi

*Vinariensis*, Generosissimum & Perillustrem Dn. FRIDERICVM GOTTHELF A MARSCHAL, dictum GREIFF, Consiliarium intimum, aulæque supremum Marschallum &c. Perillustrem & Excellentissimum Dn. HENR. LVDOV.

HEYDENREICH, Consiliarium intimum & Cancellarii vices gerentem &c. Illustrem & Excellentissimum Dn. FRANCISC. HERRMANNBÖSCHEN, Consiliarium aulicum & regiminis, tunc ad res academiae inspiciendas missum &c.

*Hesnacensis*, Perillustrem & Generosissimum Dn. CHRISTIANVM AGRIESHEIM, Consiliarium intimum, & regiminis status praesidem &c. Perillustrem & Excellentissimum Dn. BARTHOLOM. KELLNERVM Cancellarii vices sustinentem, & tunc ad

isti Principes ad reipublicæ civilis & literariæ nostræ gubernacula, sua vice tractanda admoverunt, gratiose accipi. Nihil, credite, mihi potuisset accidere vel optatius vel jucundius, quam, quod a viris, qui & ipsi doctrina, prudentia studioque virtutum admirabiles, studiorum fautores, iustissimique alienorum meritorum æstimatores existunt (159), dignus fuerim reputatus intervenientibus illorum consiliis & approbatione. Deus igitur & hos musarum præsidēs diu florentes sospitesque conservet, in commune academiæ & multarum provinciarum præsidium & emolumentum.

I 2

Nec

res academicas inspiciendas missum &c.

*Coburgo-Meiningensis*, Generosissimum & Perillustrem Dn. IO. CHR. STOPH. S. R. I. Lib. Bar. & Banderesium A WOLZOGEN, Consiliorum status directorem & Præsidentem &c. Generosum & Perillustrem Dn. IO. CONRADVM A WEBERN Consiliarium intimum & Consistorii vice-præsidentem, ad inspiciendas tunc res academicas missum &c.

*Gothani*, Generosissimum & Perillustrem Dn. IO. FRIDER. BACHOVIVM S. R. I. Lib. Bar. AB ECHT Sanctorum Consiliorum Directorem &c. Generosissimum & Peril-

lustrem Dn. ANTON. LVDOV. A SCHWARZENFELS Consiliarium intimum &c.

Nec tacere mea Musa potest virum Magnificum, summe Reverendum, Doctissimumque Dn. ERNEST. SALOMON. CYPRIANVM, Serenissimo Duci Gothano a Consiliis Ecclesiasticis &c. ut & virum Nobilissimum, Consultissimum, Doctissimumque Dn. IO. IOACH. MVLLERVM, Serenissimis Ducibus Vinariensis a Secretis status &c. Patronos meos multis nominibus colendissimos.

(159) Multum enim revera interest Musis, quos in aulis summo.

Nec tacendus mihi est Magnificus Dominus Academiae PRORECTOR (160), sub cuius egregio consulatione me ordini Professorio insertum fuisse, mirifice laetor, quam ob rem debitas ago habeoque ei grates, pro navata mihi hoc passu opera, altissimum numen precatus, ut illam, quam summa eruditione & sapientia jam olim adeptus est dignitatem, nominisque ac meritum famam, ad seros ducere queat posteros, salvus undiquaque & fortunatus.

Vobis etiam, PATRES Academiae conscripti, Fautores & Collegae honoratissimi, eas quas debeo, persolvo gratias, pro singulis favoris documentis, quibus me a multis retro annis maectare, solennem etiam hanc panegyricam honorificam vestram praesentia illustriorem reddere voluistis, conservet Vos Deus in celeberrimi huius lycei emolumentum, tuendamque eius apud externos famam diu florentes & fospites, benedicat omnibus vestris conaminibus in publicum bonum

rum Principum habeant patronos, qui eas non despiciant, sed vindicent, adversus ignavos contemptores, qui eas foveant, excitent, ad meliorem spem erigant, promoveant, & quod maximum, ex purpura sua, auctoritate, praestantia, indulgentiaque multum lucis & di-

gnitatis in eas ceteroquin humiles spargant.

(160) Intellige virum Magnificum, Summe Reverendum Doctissimumque Dn. IOHAN. FRANCIS. CVM BVDEVM S. S. Theol. D. & Profef. Publ.



num suscipiendis, aureumque vita vestrae filium ad annos deducat Nestoreos, de me vero ita vobis persuadeatis velim, me, & debita in vos observantia, & officiorum promptitudine, nemini unquam cessurum esse.

Tandem nec Tu sine grata compellatione mihi dimittenda es, Generosa & Nobilissima STUDIOSORVM CORONA, ultimo Te loco compello, non quod minus Te amem, sed quia ea, quae maxime animum afficiunt, & potissimum orationis argumentum constituunt, in finem servare oratores solent. Jam pridem est, Juvenes honoratissimi, ex quo Vobis me studiaque mea consecravi, imo & pro virili, ut nostis, praestiti, quae singula publice nunc denuoque spondeo & promitto, insuper decentes Vobis ago habeoque gratias, quod frequenti Vestra & ad modestiam composita praesentia, me cohonestare volueritis, pro quo singulari amoris testimonio obstrictum me omnino profiteor, adeoque omnibus modis enitar atque efficiam, ut intelligatis, per me commoda ornamentaque Vestra, pro virili amplificaturum iri, quod ut re ipsa experiemini, futuro die Mercurii hora II. publicas B. C. D. instituem Lectiones, in Programmate jam indigentibus, quibus ut frequentes interesse velitis, est, quod etiam atque etiam oro, & ea qua par est humanitate, contendo. DIXI.

ER-



## ERRATA TYPOGRAPHICA.

*Pag. 2, lin. 12. lege cacoethes. p. 4. col. 2. lin. 2. πρωχομσείοις  
p. 6. lin. 10. iteratis, not. (\*) lin. 2. uti. p. 8. (10) lin. 8. adferretur.  
lin. 21. at enim. lin. ult. supple: Imperatorii, quam per legatos suos &c.  
p. 19. lin. 11. col. 1. republica, col. 1. lin. 1. mentionem. p. 16. lin. 9. occi-  
dentali. p. 25. l. 7. quod varios. p. 28. l. 8. legationum. p. 29. l. 6. vox.  
p. 31. l. 4. autentico. p. 38. l. 8. vellicari. p. 40. lin. 11. illustratam,  
p. 49. (117) lin. 3. legendi. p. 59. l. ult. abutar. p. 61. l. 12. appellaretur.  
p. 62. l. 5. dignitatis.*

Jena, Diss., 1722 (1)

TA-OL

Bd. 1


f


ULB Halle 3  
004 766 555



Vd 18







~~13~~

MARTINI SCHMEIZEL  
PHILOSOPH. PROF. PVBL. EXTRAORD. VI ET BIBLIOTHECAE  
DVICALIS ACADEMICAE INSPECTORIS *Gen. 7. num. 2.*

*S. d. 1799*

*10*

ORATIO INAUGVRALIS  
DE

TITVLO IMPERA-  
TORIS, QVEM TZAARVS  
RVSSORVM SIBI DARI

PRAETENDIT, *1722, 9*

IN ACADEMIA IENENSI

EIVSQUE AVDITORIO THEOLOGICO

A. R. S. clo 1000XXII. D. XIV. DEC.

HABITA,  
NOTIS ET OBSERVATIONIBVS AVGMENTATA.

*P 179*



IENAE,  
SVMP TIBVS AVCTORIS.

